

RERUM
CORINTHIARUM

SPECIMEN



SCRIPSIT

CAROLUS WAGNER, Dr. PH
DARMSTADIENSIS.

DARMSTADII,
IN COMISSIS CAROLI GUILIELMI LESKE,
TYPIS CAROLI STAHL. MDCCCXXIV.

PRAECEPTORIBUS SUIS

IN ACADEMIIS
RUPERTA CAROLA, GEORGIA AUGUSTA
ET LUDOVICIANA

PIE COLENDIS

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

MONIMENTUM ANIMI PII GRATIQUE EXIGUUM,

CONSECRAT

CAROLUS WAGNER.

PROOEMIUM.

Cum nostra aetate multi sint, qui tandem historiae ad antiquissima tempora recedentis perscrutationem relinquendam, virorumque doctorum operam ad graviora convertendam esse clamitent, quod ex illa neque multum salutis nobis emanare neque ipsa unquam ad liquidum perduci possit, equidem ipse periculum facere constitui, num e mythis dispersisque nuntiis historicum quoddam fundamentum erui possit, an diutius in his rebus versari operae pretium non sit, historicique studio indignum debeat haberi. Hoc consilio, cum ad doctoris philosophiae honores rite obtinendos scriptio aliqua mihi esset evulganda, de parte quadam historiae Graecorum antiquissimae omnia veterum scriptorum testimonia colligere ac disponere studui, e quibus quae summa redeat, lectorum iudicium praeripere nolo. — Si qui forte, me nonnisi fragmentum dedisse dicant, pluraque desiderent, multa in schedis meis rese-

disse fciant, quae priusquam hanc meam rationem viris peritis non displicuisse cognovissem, edere nolui. —

Hanc vero, quam mihi tractandam sumsi partem, prae ceteris esse describi dignam in primo capite demonstrare studebo. Ex quo scilicet viri spectatissimi, *Manso*, ingenio atque doctrinae gloria aeque praestans et, qui praeceptis atque exemplis ad has litteras potissimum duxere, *Boeckh* et *Mueller*, studium et descriptionem singulae cujusdam civitatis Graecae enixe commendaverunt, ut singulis perspectis totius Graeciae historia absolvi possit, et juniores in primis, ut hujus operae taedium atque jucunditatem velint fuscipere, adhortati sunt, non defuere, qui seu illorum auctoritati obsequuti, seu sua sponte singulas Graeciae respublicas sibi describendas eligerent. Hac ratione, studio historiae Graecae resuscitato, brevi temporis spatio, praeter triumvirorum illorum de Sparta, Athenis, Aegina Doriensibusque opera, cedro fane digna, alia quaedam prodiere hic nominanda. Res Samiorum scripsit Panofka, Rhodiorum Rost: Creta duos adeo viros nacta est, qui eam singulari descriptione dignam habuere, alterum Neumannum, alterum Hoeckium, cujus opus latius patet. His etiam accenseri potest Klugii libellus de politia Carthaginiensium, quorum respublica, cum multa

Graecis

Graecis similia habuisse videatur, his fortasse non nihil lucis afferre potest. —

Mihi igitur circumspicienti, quaenam Graecorum civitas interprete potissimum indigeret, nulla accuratiori tractatione dignior visa est, quam Corinthiaca. Quodsi enim Athenis, Lacedaemoni et Argis primas inter Graecos tribueris partes, Corinthus sive urbis splendorem et reipublicae gravitatem, sive artium famam spectaveris, etsi eam ceteris praeripuisse palmam dicere nolis, haud ulli certe civitatium nobilitate postferenda est.

Sed quo magis rei susceptae gravitatem ac momentum intelligo, eo magis difficultas rei et mearum virium tenuitas timidum me reddit, animusque meus angitur, ne viri, quorum proposui nomina, moleste ferant, se talem nactos esse assectatorem, ipsique Corinthiorum veterum manes alium sibi precentur magnitudinis suae praeconem. At ne longus sim in excusando, Ariosti (Orland. fur. I, st. 2.) verba, si magna licet componere parvis, ad meam causam accommodabo:

Nè che poco io vi dia da imputar sono,
Che quanto io posso dar, tutto vi dono. —

Scribebam Darmstadii mense Decembri 1824.

CAP. I.

CORINTHUS DESCRIPTU DIGNA.

Initio libelli mei licet mihi ostendere, urbem maxime memorabilem me esse descripturum: quo munere non melius fungar, quam si quae judicia cum poëtae, tum rerum scriptores de ea tulerint, quam honorifice et pleno ore laudes ejus celebrarint, ipsamque splendide descripserint, lectoribus ob oculos ponam. Omni aevo eam in opulentissimis Graeciae urbibus fuisse, hi testantur loci:

Homeri Il. II, 570. ἀφνειόν τε Κόρινθον. —

Pindari Ol. XIII, 4. τὰν ὀλβίαν Κόρινθον et

Scol. I, 1. (fragm. apud Boeckh. III, 609) ἐν ἀφνειᾷ Κορίνθῳ. —

Thucydides I, 13. repetit veterum poetarum epitheton ἀφνειός et paulo post eam δυνατὴν χρημάτων προςόδῳ nominat.

Strabo VIII, 380 oraculi responsum servavit, in quo audit: εὐδαίμων ἡ Κόρινθος.

Idem pergit VIII, 381: ἡ μὲν οὖν πόλις τῶν Κορινθίων μεγάλη τε καὶ πλουσία διὰ παντὸς ὑπῆρξεν, ἀνδρῶν τε ηὐπόρηκεν ἀγαθῶν εἴς τε τὰ πολιτικὰ καὶ εἰς τὰς τέχνας τὰς δημιουργικάς. —

Pomponius Mela II, 3.: Corinthos olim clara opibus, post clade notior. —

Auctor

Auctor epitomes e Livii libro LII.: praedives Corinthus. —

Athenaeus denique VI, 272, b. Corinthiorum civitatem ita opulentam fuisse, ut possideret servorum sex et quadraginta myriadas, et hanc ob rem illos a Pythia χοινικομέτρας appellatos esse sibi videri, dicit. —

Auctoritatem ejus, potestatem et speciem ex his locis potes cognoscere:

Herodotus V, 92. oraculi responsum repetit, in quo dicitur Κόρινθος κλεινός, aliudque, in quo Corinthii appellantur: οἳ περὶ καλὴν Πειρήνην οἰκεῖτε καὶ ὀφρυόεντα Κόρινθον. —

Themistocles apud Plutarchum c. 5. Corinthum μεγάλην πόλιν vocat. —

Pindarus Ol. XIII. 4. sqq. suavissimum praeclarissimumque de urbe facit praeconium, quod quin integrum subiiciam, non possum mihi temperare:

— — — — γνώσομαι
τὰν ὀλβίαν Κόρινθον, Ἰσθμίου
πρόθυρον Ποτειδᾶνος, ἀγλαόκουρον.
ἐν τᾷ γὰρ Εὐνομία ναίει, κασιγνηταί τε, βάθρον
πολίων ἀσφαλές,
Δίκα καὶ ὁμότροπος Εἰράνα, ταμίαι ἀνδράσι
πλούτου,
χρύσεαι παῖδες εὐβούλου Θέμιτος. —

Bacchylides apud schol. ad Pindari l. l. Corinthum alloquitur: Ὦ Πέλοπος λιπαρᾶς νάσου θεόδματος πύλαι. —

In elegia templo Veneris Corinthi inscripta, servata a schol. ad Pind. Ol. XIII, 32 urbs dicitur Ἑλλάνων

λάνων ἀκρόπολις, et a Scymno Chio perieg. v. 517 ἐπιφανὴς πόλις. —

Cicero d. lege agraria II, 32. Romanos dicit tres solum urbes in terris omnibus, Carthaginem, Corinthum, Capuam statuisse, posse imperii gravitatem ac nomen sustinere.

Idem de off. II, 22. Corinthum urbem copiosissimam et pro lege Manilia c. 5. totius Graeciae lumen appellat, quod quidem translatum esse videtur e Graecorum Ἑλλάδος ἄστρον. —

Virgilius in Ciride v. 463:

Deserit angustis inclusum faucibus Isthmon,
Cypselidae magni florentia regna Corinthi. —

Livius XLV, 28. Corinthus urbs praeclara ante excidium.

Plutarchus in Timol. c. 2. Siculos a Corinthiis auxilium petiisse dicit, non solum, quod ab iis originem duxerint, multisque beneficiis fuerint affecti, sed ideo praecipue, quod urbem vidissent φιλελεύθερον καὶ μισοτύραννον οὖσαν ἀεί, hostesque plurimos validissimosque debellantem, non ut principatum sibi vindicarent opesque pararent, sed pro communi Graecorum libertate.

Florus II, 16: Corinthus Achaiae caput, Graeciae decus, inter duo maria, Ionium et Aegaeum, quasi spectaculo exposita. —

Aristides Isthm. ad Nept. T. I. p. 22 ed Iebb.: κοινὴ πάντων καταφυγή, ὁδὸς καὶ διέξοδος πάντων ἀνθρώπων, κοινὸν ἄστυ Ἑλλήνων, μητρόπολις καὶ μήτηρ. —

Athenaeus XIII, 573. c.: pulchra Corinthus. —

Eutropius IV, 14. alias brevissimus, Corinthum nobilissimam

lissimam Graeciae civitatem, et paulo post, urbem clarissimam nominat. —
Ipsi denique Anacreontis versus venustissimi XXXII, 10. sqq:

"Επειτα δ'ἐκ Κορίνθου
θὲς ὁρμαθοὺς Ἐρώτων·
Ἀχαΐης γάρ ἐστιν,
ὅπου καλαὶ γυναῖκες,

Corinthiorumque ipsa libido, a multis decantata, animum nostrum ad illam urbem advertent. —

Etiamsi in his locis alia in majus aucta pöëticeque exornata, alia in melius versa inveneris, his demtis satis multa adhuc restabunt, quae ad historiae veritatem pertinentia, urbem in aeternum maxime memorabilem reddent.[1])

---

[1]) Ad comparandum veterem hodiernumque urbis statum potissimum valent Pouquevillii verba (voyage en Morée I, 147.): „Que le voyageur ne vienne plus chercher à Corinthe les traces de ces édifices somptueux, qui en firent l'ornement et la gloire. Corinthe jadis le sanctuaire des beaux arts, Corinthe cette ville, où rivalisaient à la fois les richesses, le luxe et les plaisirs, cette Corinthe enfin, qui a remplis l'univers de son nom, n'est plus aujourd'hui qu'un amas de maisons, qu'une ville décrépite, dont les habitans tourmentés par le double fléau de la misère et des maladies, semblent pour la pluspart des fantômes échappés des tombeaux. En effet quel changement, quel sujet de reflexions!

CAP. II.

TERRA CORINTHIA DESCRIBITUR.

Quoniam in omnibus, quae via et ratione docentur, primum constituendum est, quid quidque sit, ne quando de Corintho loquar, rem indefinitam cogitemus, qui fuerit situs et ambitus urbis et agri Corinthiorum diversis temporibus diversus, quae soli, aëris, tempestatis vis et natura, quanta fieri potest diligentia, ostendendum est.

Cum quae sequuntur maxime Strabonis testimonio nitantur, praemonendum censeo, magnum auctoritati Strabonis accessisse momentum ex recentiorum, qui per illam regionem iter fecere, nuntiis, v. c. Pouquevillii, qui Strabonis et Pausaniae curae in hac terra describenda, summas tribuit laudes.[1]) —

Quodsi negari non potest, pagum vel potius dispersa illa tuguria, quae hodie dicuntur Cortho, reliquias esse veteris urbis quondam celeberrimae vel certe priscum retinuisse locum, Corinthus urbs in aditu isthmi a meridiano primo XXI gradus, minus nonnullis temporis particulis, quas

---

[1]) Voyage en Grèce, tom. IV : La topographie de Corinthe est tracée avec une telle précision par Strabon, et ses monumens sont si bien décrits par Pausanias, que c'est de toutes les villes de la Grèce la plus facile à revivifier par des recherches archeologiques. —

minu-

minutas vocamus, ab aequatore XXXVIII gradus, unam minutam et XXX secundas erat dissita. [1]) Secundum veterum et recentiorum testimonia haec locorum nobilium fuere intervalla: Argos, quo duxit *κοντοπορία*, via inter rupes strata, abfuit CC stadia et proficiscenti ob montes interjacentes quattuor horae insumendae erant, [2]) Sparta ferme DCLXXX, Lechaeum, navium statio ad sinum Corinthiacum, XII, Sicyon XXIII millia passuum Romanorum, [3]) Patrae LXXXV millia passuum, [4]) Cenchreae portus ad Saronicum sinum LXX stadia, [5]) Megara XXXI millia pass. [6]) Athenae circiter DL stadia. Urbis locum in planitie quadrata inter utrumque portum, inaequali spatio dissitae, bene descripsit Ovidius: [7])

« — qua Bacchiadae bimari gens orta Corintho
inter inaequales posuerunt moenia portus. »

Meridiem versus tecta erat arce, quam appellabant Acrocorinthon, quae est mons supra

[1]) Barbié du Bocage in analyse ad Anachars. p. 6. vers. Theodisc. collat. Muelleri Dor. II, 424.

Contra Ptolemaeus: *μῆκος νά, δ', πλάτος λς', ς'.*

[2]) Athenaeus II, c. 5. p. 43. Polyb. XVI, 16, 4. Strabo VIII, 377. Pouqueville I, 147.

[3]) Tabul. Peuting. Dodwell in itin. per Graeciam vers. a Sicklero IV, p. 126. tribus horis, minus quinque minutis, viam Corintho Sicyonem perfecisse narrat. —

[4]) Plin. h. n. IV, 4.

[5]) Strabo VIII, 380.

[6]) Tab. Peut.

[7]) Metamorph. V, 407.

urbem

urbem celsus, desinens in verticem acutum maximeque praeceps qua parte urbs jacet, tria stadia semis elatus (inde a maris superficie arbitror) quae, modo stadia Olympica intelligenda sint, Pouqueville tantundem esse dicit, quantum CCCXXXII toises Gallorum, in quem qui ascendet viam XXX stadiorum faciat, totamque horam insumat oportet.[1]) Livius[2]) eadem testatur hisce verbis: «Arx quoque et isthmus praebuere spectaculum: arx intra moenia in immanem altitudinem edita, scatens fontibus: isthmus duo maria, ab occasu et ortu solis finitima, artis faucibus dirimens.» Similiter Statius:[3])

« — qua summas caput Acrocorinthos in auras
tollit et alterna geminum mare protegit umbra.»

Ob quam gemini maris propinquitatem Corinthus saepissime audit ἀμφιθάλασσος et bimaris.[4]) In summo arcis vertice fanum erat Veneris,[5]) sub quo fons Pirene scaturisse fertur semper quidem plenus aquae pellucidae ac potabilis, os vero suum celans.[6]) Fama etiam erat e Pirenis aliarumque quarundam sub terra fluentium venula-

---

[1]) Strabo VIII, 379. Pausan. II, 4, 7.
[2]) XLV, 28.
[3]) Thebais VII, 106.
[4]) Pollux onomast. IX, segm. 17. Horat. od. I, 7, 3. Ovid. fast. IV, 501. trist. I, 11, 5. metam. V, 407.
[5]) Strabo VIII, 379. Pausan. II, 4, 7.
[6]) Strabo l. l. Plin. h. n. IV, 4.

rum

rum confluxu fontem illum oriri, qui ad radicem montis in urbem effluens largam aquae copiam ei praeberet.[1]) Pausanias fontem quidem a tergo delubri Veneris esse, eumque ab Asopo Sisypho concessum, ubere narrat,[2]) itemque se audivisse eum fontem Pirenen appellatum esse et aquam in oppidum demittere minime negat, attamen in aliam it sententiam. Jam enim antea[3]) Pirenen fontem Lechaeum inter et Corinthum, candidissimo marmore ornatum, prope Herculem aeneum esse et e lacrimis Pirenes nymphae ortum perhiberi dixerat. Eiusque ratio multum habet probabilitatis, primo quod a vulgari opinione consulto recessit, deinde quod ad sacrum Pirenes fontem aetate provectiores cubare talisque ludere soliti esse dicuntur,[4]) qui sane non requiescendi causa praecipitem montem moleste ascendissent, tum quod Pegasum quoque, quem cum e Pirene biberet a Bellerophonta captum dicunt,[5]) in planitie potius, quam in praerupto monte vagantem cogitarim. Quibus ex causis probo rationem Muelleri, qui Pirenen haud procul a Lechaeo portu in Peloponnesi tabula geographica designavit, illumque in arce fontem alio nomine vocatum

---

[1]) Strabo l. l.
[2]) II, 5, 1.
[3]) II, 3, 3.
[4]) Euripid. Med. 69.
[5]) Pindar Ol. XIII, 90. Strabo l. l.

fuisse

fuisse, persuasum habeo, quanquam Pouqueville Strabonis fidem sequitur. Ut ut est Corinthus ipsa audit ἄστυ Πειράνας.[1]) — De montis vertice aspectus patet latissimus et suavissimus, quo delectati omnes qui viderc nunquam praeclarius quidquam oculis suis sese praebuisse profitentur: sunt adeo quos aspectum, Neapoli sese offerentem, huic non praeferendum esse dicere meminerim.[2]) Maxime suburbanus orientem versus erat cupressorum lucus, cui Craneo nomen, in quo Bellerophontae, Venerisque Melanidos fana et sepulcrum Laidos, prope quem Diogenes Sinopensis sepultus jacet,[3]) Menippusque

[1]) Pind. Ol. XIII, 86. coll. Herod. V, 92.

[2]) Strabo VIII, 379. Pompon. Mela II, 3: „Corinthos ex summa arce, quam Acrocorinthon appellant, maria utraque contuens.“ Quanta voluptate Pouqeville perfusus fuerit, ex ipsius verbis (voyage en Mor. I, 150) licet cognoscere, quae, cum nesciam an paucis nota sint, repetere non alienum a nostro fine puto. „Quelle vue magnifique s'étend sur toute la Grèce de ce point sublime! L'Achaïe, la Sicyone, Argos et ses montagnes, le Parthenius, le Taygète, Naupli et sa Palamide, le golfe magnifique d'Argos et les côtes de la Laconie peuvent être embrassés d'un coup d'oeil. Sous les pieds de l'observateur sont la mer de Lepante et les flots du golfe d'Enghia. Il contemple Megare, Salamine et Eleusis. Il verrait sortir les vaisseaux du Pirée dans les beaux jours d'Athenes, l'Epidaure, Egine, Calaurie sont devant lui, ainsi que la terre de l'Hermionide, qui se confond dans l'azur des mers. Il erre sur le mont Cytheron, il voyage sur la double cime et son ame ne peut suffire aux objets, qui l'environnent.“

[3]) Paus. II, 2, 4.

Cynicus versari solebat.[1]) — Urbs ipsa, qua parte monte non tecta erat, muris cincta circuitu XL stadia colligebat et, si Acrocorinthum simul amplecteris, circiter LXXXV.[2]) Descriptioni urbis internae, quod serioribus demum temporibus, quam quae nostra commentatio amplectitur, descriptu digna facta est, hic locus concedi non potest. Sed agri Corinthiaci fines constituere meum est, qui variis temporibus varii, maxime remoti cum essent bello Peloponnesiaco octodecim milliaria in quadratum, qualia apud nos sunt, non superaverint. Tam angustis finibus concludebatur Corinthia, ut quamvis potissimum praeter mare extendebatur, nihil obstaret, quin navis commode uno die totam praeterveheretur oram.[3]) Terram si cum aliis Graeciae civitatibus, quoad ambitum componere velis, superavit Megaridem, Sicyoniam, Phliasiam, Doriensium et Locrensium agrum, ceteris in terra continenti omnibus minor erat. Constabat autem e duabus partibus, quarum altera inde a summa memoria juncta, altera in bello cum Megarensibus parta erat. Thesei enim tempore minorem isthmi partem complectebatur Corinthia, major

---

1) Lucian. dial. mort. I, 1.
2) Strabo VIII, 3, 9. Xenoph. Hell. IV, 4, 11.
3) Scylax p. 36 et 45 ap. geogr. minn. ed. Vienn.: παράπλους τῆς Κορινθίας χώρας μέχρι τῶν ὀρέων Μεγαρέων στάδια τ.

ad

ad illius, qui Megaridem sibi subjecerat, regnum pertinebat et cum diu multumque de finibus disceptatum esset, ei convenit cum Corinthiis et, ubi utriusque regni finis erat, columna posita est, cui in parte Peloponnesum spectante haec verba insculpta erant:

Τὰ δ'ἐστὶ Πελοπόννησος, οὐκ Ἰωνία·

in parte autem Megarae obversa:

Τὰ δ'οὐχὶ Πελοπόννησος, ἀλλ' Ἰωνία· [1])

Post Heraclidarum vero reditum, cum multi e Peloponneso e sedibus suis pulsi in Atticam migrarent atque Athenae copia virorum valde florerent, Heraclidae sibi metuentes, Corinthiis instigantibus, quod finibus suis timebant, Messeniis, quod ultionem e Codro, cujus patrem Melanthum expulerant, metuebant, bellum Atticae inferre occupaverunt. Victi autem proelio atque ex Attica profligati Megaridem occupaverunt atque Corintho potissimum colonis deductis, Megaram urbem condiderunt. [2]) Ita factum est, ut incolae ex Ionibus fierent Dores, eorum linguam adsciscerent et haec isthmi pars Peloponneso adderetur. [3]) Hac ratione Megarenses, cum suis legibus parerent, saepe a Corinthiis vexati, ab Atheniensibus in fidem recepti, varia fortuna modo Crommyonem

---

[1]) Strabo IX, 392. Plut. in Thes. c. 25.
[2]) Scymnus Chius perieg. v. 503.
[3]) Herod. V, 76. Strabo VIII, 393. Paus. I, 39. Velleius I, 2.

 et

et quae circumjacent, possidebant, modo hostibus relinquere coacti erant,[1]) donec Corinthii majoribus copiis usi partem, quam vindicabant, certa possessione obtinerent.[2]) His praemissis fines ita ducendi esse videntur: montes Γεράνεια ad sinum Crissaeum ab iisque linea transversa per isthmum usque ad Crommyonem pagum, pro diversis temporibus citra pagum vel paulo ultra ducta, Megaridem secernebant: illinc proxime affines sunt Pagae, Oenoe enim castellum jam Corinthiorum est,[3]) ab hac parte prope aedem Apollinis Latoi, priusquam Σκιράδων verticem assequeris, Megarensium et Corinthiorum fines erant constituti, ad quos Hyllum cum Arcade Echemo singulari certamine congressum dicunt.[4]) — Sicyoniam a Corintho secernit Nemea amnis.[5]) — Qua parte agrum Argivum attingit Tenea, ubi Apollinis Teneatae templum, ultima est Corinthiorum, Cleonae prima Argivorum urbs; inde

---

1) Thucyd. I, 103. Diodor XI, c. 79. Tom. IV, pag. 253. ed. Argent.

2) Strabo VIII, 380. Plut. quaest gr. p. 182 ed. Reiske.

3) Nolo hic repetere diversas doctorum sententias de montium Γερανείων et Ὀνείων tractibus. Qua de re controversiam, si omnino dirimi potest, summa diligentia omnium veterum et recentiorum nuntiis collectis et perpensis Muellerus v. cl. II, 2, 431 sustulisse videtur.

4) Pausan. I, 44, 14.

5) Strabo VIII, 32. Livius XXXIII, 15.

per

per Arachnaeum rectâ lineâ fines usque ad Epidaurum propemodum procedunt, dum aliâ a Piraeo, ultimo loco maritimo, ductâ, abscinditur. Duo latera definiuntur mari. — Praeter ipsam Corinthum haec loca ad Corinthiam pertinuisse dicuntur, quae quando condita sint, quando interierint, parum compertum habeo. *Cenchreae* oppidum et portus ad Saronicum mare munitus, quo utebantur ad negotationes Asianas, auctore Strabone (VIII, 369 et 380) a regni capite LXX stadia distantes, non confundendae cum Cenchreis Argolicis, quae in via sitae sunt Tegea Argos ducente.[1]) E regione Cenchrearum Helenae balneae fuerunt, quas Pouqueville denuo reperisse sibi videtur.[2]) — In contraria parte ad Corinthiacum sinum *Lechaeum*, non admodum frequens domiciliis, a Corintho, quacum muris erat conjuncta, XII stadia remotum, portu suo naves Italicas Siculasque excipiens.[3]) Illinc *Schoenus*

[1]) Pompon. Mela II, 3. Secundum Gell. Mor. p. 207 intervallum $6\frac{1}{2}$ milliar. Angl. tantum est et mirum sane me habet, quod Cenchreae LXX distare dicuntur, cum Solygiam, longius dissitam, XLVIII tantum abesse Thucyd. IV, 42. tradidit. De scriptura et appellatione docte disseruit. Poppo in prolegg. ad Thucyd. P. I vol. II, p. 229.

[2]) Pausan. II, 2, 3.

[3]) Strabo VIII, 376. Plin. h. n. IV, 4: Lecheae et Cenchreae angustiarum termini. — Dicaearch. βίος Ἑλλάδ. v. 109. Xenoph. Hell. IV, 4, 7.

portus,

portus, XLV stadia ab urbe dissitus, a Maleis fere MDCCC, a Piraeo Atheniensium CCCL.[1]) Isthmus hoc loco navibus terra traducendis erat arctissimus, unde δίολκος audiit, ad quem recurremus. Cenchreis Epidaurum naviganti primo, haud procul ab ora maritima, *Solygia* vicus se offerebat, ab urbe XLVIII, a litore XII stadia remotus, prope quem septimo belli Peloponnesiaci anno Corinthii ab Atheniensibus gravem cladem acceperunt, conditus in colle cognomine, in quo olim Dorienses stativa habuerant, cum Corinthiis tunc Aeolibus, arma inferrent.[2]) Sequebantur deinceps *Bucephalus* et *Anthedon*,[3]) portus parum celebres; in confiniis denique Epidauriae Spiraeum promontorium, in quo portum desertum Πειραιόν fuisse, Thucydidis testimonio gravissimo (VIII, 10 sq.) extra dubium vocatur, cujus nomen, ut idem sit quod promontorii, in Σπειραιόν mutari probe jubet Muellerus II, 2, 431. — Media terra montuosa victumque negans parum habitabatur, neque ullum praebebat locum

[1]) Strabo l. l. et 391. Plinio IV, 7 paulo plura distat.

[2]) Thucyd. IV, 42. Quid in hoc loco Ῥεῖτος designet, num alveum aquarum, an promontorium, an oppidum nondum ad liquidum perduci potuit; aliis aliud videtur. cf. Poppo II, p. 230.

[3]) Plin. h. n. IV, 5. Ptolemaei Ἀθηναίων λιμὴν in Ἀνθήδων emendandus erit. Stephan. Byz. λιμὴν Ἀνθηδόνιος.

memo-

memorabilem praeter *Teneam*, quae a metropoli LX stadia erat remota. Hic pagus prae ceteris frequentatus opibusque florens, ob Apollinis Teneatae templum inclytus, in oraculi responso, quod Strabo repetit, fortunatior ipsa Corintho dictus, postea a Corintho desciscens peculiarem sibi constituit rempublicam Corinthique excisae fuit superstes.[1] —. In altera ora si sursum versus tendimus, relicta Lechaei planitie, in editiori loco videbimus τὰ Θερμὰ, tum *Olmias* promontorium angustissimo tramite in mare procurrens, prope verticem: *Piraeum* portum; porro *Junonis Acraeae* templum et oraculum seu *Heraeum* et mediocri intervallo *Oenoen* castellum.[2] Geminum enim Corinthiis fuisse Piraeum, seu potius Muelleri conjectura probata et Spiraeum et Piraeum, taceant licet Strabo ceterique geographi, non possumus non statuere. De altero in confiniis Epidauriae dubitari nequit, alterum ad Crissaeum sinum inter summum promontorium, τὰ ἄκρα, et Heraeum situm fuisse, qui Xenophontis

---

[1]) Strabo VIII, 380, qui Teneatas a Tenea, Cycni filio oriundos, cum Tenediis cognatos fuisse credit, et ex cultu Apollinis utrisque communi non leve ducit argumentum.

[2]) Strabo VIII, 380. Xenoph. Hell. IV, 5, 1 — 5. Liv. XXXII, 25: Promontorium est adversus Sicyonem, Junonis quam vocant Acraeam, in altum excurrens: trajcetus in e Corinthum, septem millia ferme passuum.

Hell.

Hell. IV, 5, 1, 3 sqq. non obiter legerit, facile concedet. Agesilaus enim cum ad Therma usque venisset unam moram longius emisit κατὰ τὸ ἀκρότατον, at qui Piraeum tenuerunt, quum Neptuni templo conflagrante montium cacumina ab hostibus obtineri animadvertissent, resistendi consilio deposito Heraeum confugientes Lacedaemonio portus occupandi facultatem praebuerunt. Praeter Piraeum et Heraeum, quae etiam quondam in Megarensium ditione fuerant[1]) propinquamque *Geraneam*,[2]) vicum parum notum, qui nescio an idem sit atque ille, cujus mentionem facit Pausan. II, 44, 8, in illa isthmi parte Megarensibus erepta ad alteram partem erant *Crommyon et Sidus*. 'O atque ἡ Κρομμυών CXX stadia a Corintho procul et ob montes interjacentes Cenchreis propior, vicus peropportune in via ex Hellade in Peloponnesum situs, ceteroquin ignobilis, nisi quod suem Crommyoniam, cujus caedes inter aerumnas Theséi numeratur, ibi saevisse et de loco ipso majori cum odio quam pretio inter Corinthios et Megarenses diu pugnatum esse narratur.[3]) Σιδοῦς inter Schoenuntem et

---

[1]) Plut. quaest. graec. p. 182. Reiskei.
[2]) Scylax p. 35 apud geogr. minn.
[3]) Thucyd. IV, 45. Strabo VIII, 380. Pausan. II, 1, 4. I, 44, 11. Scylax p. 45. Plut in Thes. c. 9.

Crom-

Crommyonem vicus Corinthiae, olim Megaridos. [1]) Commemorantur praeterea passim alii Corinthiorum vici, quos quo loco collocarem et cui tempori tribuerem, e veteribus discere non potui. Plutarchus[2]) de pago Corinthiaco loquitur, cui nomen Μέλισσος, ac nescio an idem sit atque illa Stephani κώμη Μέλισσα ἐν Κυριακῷ. (Κορινθιακῷ). Stephanus porro Theopompi testimonio nixus, qui rerum Philippicarum libro XXXIX dicat: »Asae et Mausos vici magni sunt et incolis frequentes«, *Asas* vicum Corinthiae exhibet. Aliis Ἀσία vicus Arcadiae est.[3]) Mihi hanc rem claram reddere posse non contigit, neque harum minutiarum quaestionem operae pretium duxi.

Relinquitur ut de isthmi natura disseram, quem cum recentiores, ut Bellin, Chandler, Clarke tam accurate dimensi sint, non nisi veterum testimonia mihi afferenda censeo. Angustissima isthmi pars, quae supra Schoenuntem et Lechaeum est, arcto sane tramite Helladi Peloponnesum annectit, V mille passuum spatio Ae-

1) Xenoph. Hell. IV, 4, 13. Plin. h. n. IV, 7. Hesych: Σιδουντίας κώμη τῆς Κορινθίας. Athenaeus III, 7. p. 82 B. Rianum et Apollodorum Σιδοῦντα vicum Corinthiorum habuisse dicit. cf. Heyne frgm. Apollod. 428. Scylax p. 45: τεῖχος extra isthmum.

2) Amatt. narrat. II, 772 ed. Xyland.

3) Eustath. ad Dionysii perieg. v. 412. Strabo Chrestomath. apud geogr. minn. I, p. 709.

gaeum

gaeum mare ab Ionio summovens.[1]) His angustiis nomen obtigit δίολκος a minorum navium per plaustra transvectione;[2]) majores enim terrâ traducere plus impendii quam compendii fuisset, qua re exonerandae et in altero litore denuo navibus erant imponendae. Quem laborem evitare multi frustra tentaverunt. Demetrius rex, et Caesar dictator, Caligula et Nero imperatores angustias navigabili alveo perfodere et Peloponnesum insulam efficere infausto, ut omnium patuit exitu, conati sunt incepto.[3]) Vestigia, quo loco isthmus fodi coeptus fuerit, exstare, saxosam vero ejus partem omnino non tentatam fuisse, auctor est Pausanias l. l. Isthmi angustiis etiam usi sunt Peloponnesii in bello contra Persas murum exstruentes e transverso per isthmum, ut

[1]) Strabo VIII, 334 et 380. Plin. IV, 4. Scylax p. 36. Pomp. Mela II, 3 angustias quattuor tantum milium fuisse tradit, habetque asseclam Solinum c. 7. p. 23. Schol. ad Pind. Nem. VII, 67: μγ' σταδίων ἀμφιθάλασσος ἦν.

[2]) Thucyd. VIII, 7. Liv. XLII, 16 Rationem navium per isthmum machinis traducendarum vocabant διισθμονίσαι. cf. Schol. vet. ad Aristoph. Thesmoph. 647.

[3]) Plin. h. n. IV, 4. Sueton. Caes. c. 44 ibiq. Marc. Donat. Caligul. 21. Nero. 19. Philostrat. IV, d. v. Ap. c. 8. Sic Cnidios quoque suum isthmum intercidere adortos, detentos ab Apollinis oraculo, siquidem divinitus constitutis rebus manum injicere non licere, dicente, ab Herodoto narratur I, 174. coll. Paus. II, 1, 5.

unico

unico in Peloponnesum aditu terrestri obstructo barbarorum copias illabentes inde repellerent.[1]) Ad isthmi marginem, non in medio, uti tradit Mannert in geographiae antiquae vol. VIII. p. 362, Neptuni delubrum collocatum erat, Isthmicis inclytum ludis, qui in pineto sacro celebrabantur primis et tertiis Olympiadum annis.[2]) —

Postquam quantus fuerit Corinthiorum ager perspeximus, nunc qualis fuerit, quaeque produxerit videamus.

Plurima pars agri, ut totius Peloponnesi montibus saxisque tegitur; ab altera enim parte Onea et Geranea ab altera Arachnaeum, quocum Acrocorinthus cohaeret, urbem paene tangunt. Plana sunt et fertilia quae Corinthum et Sicyonem interjacent et in isthmo, quae circa Crommyonem et Schoenuntem, cetera omnia sterilia, confragosa et aspera, unde Corinthus ὀφρυόεις dicta et proverbium ortum est: Κόρινθος ὀφρυᾶ τε καὶ κοιλαίνεται,[3]) ancipiti, opinor, sensu. Quae terra igitur producebat, neque ab exteris petebantur, neque sufficiebant ad sustentandos incolas, quos ipsa natura ad alium vitae quaestum verterat.

[1]) Herod. VIII, 40, 71. Isocrat. Panegyr. c. 26. Diodor. XI c. 15. Tom. IV p. 115. ed Argentor.

[2]) Pind. Nem. VI, 69. Strabo VIII, 380. Plin. IV, 5. in fine.

[3]) Strabo VIII, 381.

Metallis

Metallis rarioribus caruit, ipsoque aere nativo,[1]) ligni contra largum proventum praebuit navibusque fabricandis erat idonea. Vinum Corinthium vilitate ita innotuit, ut apud Athenaeum[2]) βασανισμός dicatur. Temperiem valetudini infestam, solum sale et nitro praegnans Pouqueville alacri suo modo describit. Longe aliter Cicero, cui si fidem habemus nulla unquam terra magis fertilis fuit, quam Corinthia. Ita enim loquitur:[3]) «agrum optimum ac fructuosissimum Corinthium, qui L. Mummii imperio ac felicitate ad vectigalia populi Romani adjunctus est,» atque iterum:[4]) «adscribit idem auctioni Corinthios agros opimos et fertiles.» Quae Ciceronis verba eo magis mira videntur, quod non omnium, quos commemorat, agrorum ubertatem in universum praedicavit, sed Corinthios solos ceteris praestare dixit. At solum Corinthi urbis agrum in animo habuit, quem justo jure ita praedicari potuisse Livii (XXVII, 31) ostendunt verba: «Classem adpulit inter Sicyonem et Corinthum agrumque nobilissimae fertilitatis vastavit.» Quae regio adeo in proverbium abiit de opulenta posessione; interroganti scilicet cuidam, qua ratione dives fieri possit, responderi

---

[1]) Paus. II, 3, 3.
[2]) Deipnosoph. I, c. 23. p. 30.
[3]) De lege agrar. I, 2.
[4]) Ibid II, 19.

posse

posse dixit Athenaeus (XIII. p. 573, c): *si tuum esset quidquid est inter Corinthum et Sicyonem.*

In hunc locum delati, quasi in peroratione, quantum ad mercaturam et mores situs urbis valuerit contemplemur.

Uno ore scriptores Corinthum prae ceteris Graeciae urbibus locum opportunum et idoneum ad mercaturam faciendam opesque colligendas fuisse affirmant. [1]) Quorum testimonio ne opus quidem est, cum quivis ipsa natura Corinthum ad hoc negotium delegatam esse, statim intelligat. Condita enim quasi in ponte Peloponnesi et Hellados, illius claustra tenuit et commodissimum locum praebuit, quo Graeci utriusque regionis in medio cursu convenirent, foedera icerent, negotia deciderent, merces mutarent. Quapropter Phido Argivus, cum patriam in omnes Peloponnesi civitates imperium tenere vellet, primum insidias tetendit Corintho, quod eam tutissimum totius Peloponnesi credidit propugnaculum (προτείχισμα ἐπικαιρότατον). [2]) Eadem omni aevo rerum pretiosissimarum venalium commune quasi totius Graeciae forum erat, quo barbari Graecique mercatores aequo lucrandi studio confluebant. Quaevis hic exponebantur, quaevis venumdabantur.

---

[1]) Thucyd. I, 13. Strabo VIII, 378. Cic. de lege agr. II, 32.

[2]) Plut. amatt. narratt. II, 772.

Quam-

Quamdiu enim Graeci terrâ potius quam mari negotiabantur et qui Peloponnesum quique extra eam incoluere, per Corinthiam commeabant: postea vero cum rei navalis peritiores, piratis sublatis, mari navigarent, omne cum exteris commercium erat Corinthi. Ab utroque enim marì cum allueretur [1]) et ad utrumque portus haberet tutissimos, fretum vere Siculum aeque ac mare super Maleas a nautis cane pejus et angue vitarentur,[2]) quid optatius esse potuit cum ex Italia tum ex Asia proficiscentibus quam, ut, omissa periculosa circum Maleas navigatione, merces Corinthum deportare atque emporio celebri et frequenti uti possent ad vendendas, mutandas aliisve tradendas maxime idoneo? Etiam qui ulterius tendebant, nisi navibus majoribus uterentur, non sibi impedimentum putabant isthmum, sed navibus ab altera ora plaustris ad alteram transvectis rursus mare ingrediebantur. Cicero [3]) haec commoda bene hisce verbis complectitur: »Corinthus posita erat in angustiis atque in faucibus Graeciae sic, ut terra claustra locorum teneret et duo maria, maxime navigatione diversa paene conjungeret, cum pertenui discrimine separaren-

[1]) Dionys perieg. 420: Δοιαὶ δ'ἴσθμια νῶτα περιβρομέουσι θάλασσαι.

[2]) Inde proverbium: Μαλεὰς δὲ κάμψας, ἐπιλάθου τῶν οἴκαδε. Strabo VIII, 378.

[3]) De lege agr. II, 39.

tur.

tur.« — Neque tamen damno artium naturâ ita compositum erat. Corinthii enim et suis commodis intenti et alta Graecorum indole non destituti, licet non statuarios et pictores omnibus numeris absolutos produxerint, omnes artes tamen exercebant, excolebant, saepe amplificaverunt; artifices ad aemulationem usque magni aestimabant, in stragulis conficiendis caelandisque cadis ipsi exercitatissimi, semper in nautis peritissimis habiti multa potissimum ad rem navalem et bellicum apparatum invenerunt. [1]) Quantum lucri ex loci opportunitate ceperint, facile intelligitur, praesertim cum non solum rerum invectarum, sed etiam omnium, quae in Peloponnesum terrâ importabantur aut inde exportabantur, portorium exigerent illi quasi Peloponnesi janitores. [2]) Novum quaestus genus incolis illius regionis accessit ex ludis Isthmicis tertio quoque anno celebratis, ad quos tanta undique hominum copia confluebat, [3]) ut omnes res venales, salva hospitiorum liberalitate, immodico paene pretio venderentur. Ob amoenitatem praeterea loci et sumtuosas vel desidiosas cupiditatum illecebras Corinthus, φιλόξενος apud Suidam dicta, semper

[1]) Herod. II, 167. IV, 180. Pind. Ol. XIII, 17. ibique schol. Plin. h. n. VII, 56. Athen. I. c. 21. VI. p. 236 b.
[2]) Strabo l. l.
[3]) Apoll. Rhod. Arg. III, 1240.

referta

referta erat peregrinis ditissimis. Quod quum constaret, immensos sumtus faciendos esse iis, qui voluptatibus Corinthiacis omnibus frui vellent, proverbialis dictio orta est: *Non cuivis homini contingit adire Corinthum* [1]) i. e. facere impendia maxima et tum omnino, magnum quiddam efficere vel consequi. De ambubajarum, meretricium, ἱεροδούλων quaestu alio quidem loco agendum est, at hic facete dictum addere juvat, e quo sumtuosa vivendi ratio noscatur. Meretrix quaedam exprobranti feminae, quod non opus faciat neque lanam tractet, se tamen brevis temporis spatio tres ἱστούς devellisse, respondisse fertur, [2]) ancipiti sensu, quum vocabulum ἱστός et lignum, cui tela circumdatur et malum navis designet. Quantae divitiae in universum Corinthiis fuerint et potissimum eorum regibus, ad quos magna ex parte istud portorium redibat, cum ex istis, quos pag. 1. attuli, locis, tum inde perspicitur, quod Cypselus auream justae magnitudinis statuam, malleo ductam, Olympiae donarium dedicavit. [3])

---

[1]) Horat. epist. I, 17. 36. Harpocrat. p. 360. ed. Pors.: Οὐ παντὸς ἀνδρὸς εἰς Κόρινθον ἐστὶν ὁ πλοῦς.
[2]) Strabo VIII, 378 in fine. Simile lepide narratum exhibet Athen. XIII, 567.
[3]) Strabo VIII, 378.

Sed

Sed commodis situs expositis incommoda et mala ex eo orientia non tacenda sunt. Illa facultas omnia, quaecunque cupit animus, parandi molles reddit mores et delicatos, nec sinit esse modicos et simplices. Mercatura, tota fere ad quaestum et lucrum relata, divitias quaerit, divitiae pariunt otium, otio vitia aluntur, otium et reges prius et beatas perdidit urbes. [1]) Prudenter Caesar [2]) ideo Belgas inter Galliae incolas fortissimos esse dicit, quod minime ad eos mercatores commeent atque ea, quae ad effeminandos animos pertineant, importent. Nullus contra in tota Graecia locus item ut Corinthus adfluebat omni omnis generis voluptatum deliciarumque instrumento. Jure igitur jam Cicero vitia situs maritimi enumcrans ante omnia iis adcenset corruptelam et mutationem morum, praeterea cupiditatem excurrendi, vagandi, eoque adeo procedit, ut perversionem Corinthi diu labefactatae ex illo civium errore et dissipatione ducat, quod in suis sedibus non haeserint, sed volucri semper spe et cogitatione a domo longius rapti atque etiam cum manserint corpore, animo tamen vagati et agrorum et armorum cultum reliquerint.[3]) Luxuria enim relanguescunt animi et

[1]) Catull. LI, 15.
[2]) de bell. Gall. I, 1.
[3]) de republ. II, 4. p. 128 sqq. ed. Mai. cf. Plato de legg. IV, 162 sq. XII, 194. ed. Bip. quem Tullius prae oculis habuisse videtur.

remittitur virtus, quod quidem Corinthiorum exemplo probari potest. Nam ab avita Heraclidarum virtute, quam usque ad bellum Persicum integram servaverant,[1]) desciscentes φιλήδονοι dicti[2]) adeoque mores suos leves fieri, corrumpi et depravari passi sunt, ut Euthymus milites Corinthios feminas dicere non vereatur,[3]) atque in ipsa lingua mollitiei et libidinis eorum extet in omni posteritate monumentum. Urbs enim ipsa audit uncta,[4]) Corinthia verba idem valent ac mollia, fracta, calamistrata, [5]) Corinthia puella apud Platonem [6]) significat πόρνην, ἑταίραν; κορινθιάζεσθαι denique, quod omnium turpissimum est, idem est atque ἑταιρεῖν, μαστροπεύειν. [7])

CAP. III.

DE NOMINIBUS CORINTHO URBI DEINCEPS INDITIS.

Ἡλιούπολιν antiquissimum Corinthi urbis itemque arcis adjacentis fuisse nomen Stephanus Byz.[8]) atque Eustathius [9]) testantur. Quod quid sibi

[1]) Herod. IX, 105.
[2]) Maxim. Tyr. diss. 10. p. 44. Reiske.
[3]) Plut. in Timol. c. 32. dicaciter inversa Euripidis sententia in Medea v. 217.
[4]) Juvenal. VIII, 113.
[5]) Virgil. catal. II, 1.
[6]) de republ. III, 404. d.
[7]) Stephan. Byzant. et Hesych. in voce κορινθιάζεσθαι.
[8]) in voce Κόρινθος.
[9]) ad Iliad. II, v. 570. p. 219. ed. Bas.

velit

velit e verbis Pausaniae conjectura assequi possumus. Ex incolis enim sese audisse narrat:[1]) Briareum, quum Neptunus in certamen cum Sole de regionis possessione descendisset, litem ita diremisse, ut isthmum Neptuno, arcem urbi imminentem Soli adjudicaverit. Successu temporis, quum obsolevisset illud nomen, novum Πάγος in usum venisse, quo usurpari desito, urbem appellatam esse Ἐφύραν. Huic fabulae, ex ultima antiquitate repetendae, si formam allegoricam detraxeris, hoc verum subesse videtur: primum terram nondum certis naturae finibus fuisse circumscriptam, sed inundationibus maris modo latiorem modo contractiorem fuisse, quod certamine Solis et Neptuni significatur. Sol enim maris rapidos progressus saepe irritos fecerat et radiis ardentibus illud, si modo non profundum esset, de solo, quod inundarat, cedere atque evanescere coëgit. Cur Briareus centimanus litis arbiter nominetur, difficile est explicatu; nescio an gigantis persona labores incolarum immensos designet, qui in terra aggere munienda summam posuerunt operam. De aggere certe, sive manu sive natura facto, cogitavit Pindarus, cum isthmum γέφυραν πόντου et γέφυραν ποντιάδα nominaret.[2]) Ita denique lite peremta, mare in alveum suum rejectum non

---

1) II, 1, 6.
2) Nem. VI, 40. Isthm. III, 38.

nisi

nisi isthmum alluere potuit et cum praeterea dorso ejus naves oneratae terramque locupletantes advehi solerent, Neptuni cultus admodum celebrari, isthmusque Deo marino sacer haberi coeptus est. Reliqua terrae pars, quam mare attingere non poterat, contrario numini erat consecranda. Soli igitur, qui antea saepe exsiccandâ terrâ fluctibus tectâ incolis utilissimum sese praebuerat, imperium in terrâ continenti, quae opponitur isthmo bimari, arceque relictum ab eoque tanquam continentis statore nomen urbis repetitum est. Ἡλιούπολις urbem igitur designat, quae nihil sibi metuendum habet ex inundatione, quae mari non conflictatur; quod nomen nostrae urbi ad oppositionem tantum est inditum, contrariumque a priori indicat statum. Ad hanc sententiam etiam Stephanus et qui eum secutus est, Eustathius appropinquasse videntur, cum urbem ita appellatam esse dicant, διὰ τὸ ξηρὰν εἶναι, i. e. διὰ τὸ μὴ ὑγρὰν εἶναι, seu, quod in terra, ex quo tempore aquae defluxerant, continenti neque amplius ambigua erat sita. Intempestive sane Berkelius in nota ad h. l. aliquid idque majoris momenti latere suspicatur. Ἠλόπολιν enim antiquum et verum nomen fuisse censet; τὸ ἧλος scilicet Hesychio dici locum, qui nihil proferat. Sed hac emendatione supersedere possumus. Haesisse videtur v. d. in prima adjectivi ξηρός significatione et quum forte

ei

ei in mentem venisset locus ille Strabonis (VIII, 380), in quo terra Corinthia dicitur οὐκ εὔγεων σφόδρα, ἀλλὰ σκολιά τε καὶ τραχεῖα hunc in suum usum convertere posse ratus, sibi repugnantia junxit. Nam eadem terra dici non potest ἠλώδης paludosa (propria vocabuli notatione) ideoque sterilis, simulque sicca atque arida. Ut taceam illud Solis et Neptuni certamen, omnium ore divulgatum, quod Berkelii sententiâ probatâ, plane neglectum jacet, hoc inprimis tenendum est, agrum Corinthium non tantopere sole exustum et sterilitate famosum fuisse, ut inde nomen urbi contumeliosum potuisset deduci: a suis certe ipsis habitatoribus nullo modo profectum fuisset, sed ab aliis in ludibrium esset datum, ut factum est in Locris Ozolis. Quid quod proxima urbi regio nobilissimae erat fertilitatis? [1]) Abeat igitur praematura Berkelii conjectura. — Quo igitur tempore Solis sacra ex isthmo in continentem montisque verticem recesserunt, Neptuni cultus successisse videtur; quem sacrorum transitum Mueller [2]) ex Ionum potissimum, ubique sacra Neptuni instituentium, imitatione deducit. Idem Solem, cui antea et in isthmo et Taenari sacra peracta erant, Marinum nuncupat naturâque Neptuno similem, ita ut paene nihil novi, nisi no-

[1]) cf. p. 20.
[2]) Aegin. p. 29.

men,

men, idque ab Ionibus, illatum sit. Quae doctioribus dijudicanda relinquo. —

Acrocorinthum per aliquod tempus vocatam esse Ἐπωπήν, quod ex ea Sisyphus Aeginam abs Jove raptam prospexisset, fabulantur Steph. s. v. Ἐφύρα et Eustath. ad Il. B. —

Quid significet Πάγος non est, quod multis explicem, in modum Stephani addere juvat διὰ τὸ ὑψηλὴν εἶναι. De Ephyra vero, quod multiplex est, paulo uberius disserendum videtur; plures enim fuisse Ephyras urbes, res est in vulgus nota, quarum quo quaeque loco quaerenda sit, nunc definire mihi proposui. — Ut vero in rerum historicarum expositione ratione et via procedamus ab antiquissimo quoque auctore narrationis initium capiamus et ad proximum quemque aetate transgrediamur, ut temporis discrimine observato, quid antiquum quid recens sit, videre liceat. Homerus aetate virtuteque omnium primus ordinem ducat nosque de Ephyris sui aevi certiores faciat. Locos huc spectantes, quod multum de iis disputabitur, suo ordine subjiciam.

Il. II, 659: Τληπόλεμος,

ὃν τέκεν Ἀστυόχεια βίῃ Ἡρακλείῃ,
τὴν ἄγετ' ἐξ Ἐφύρης, ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος.

Quae Ephyra quo referenda sit magna ex parte a quaestione pendet, Selleisne fluvius unquam

quam in Thesprotia fluerit, necne. Strabo quidem VII, 328. disserte negat, idemque VIII, 338. illum Homeri locum, quasi aliorum errorem tollere velit, apponit Ephyramque Eliacam, distinguendam a Thesprotica, Thessalica et Corinthiaca duabus ex causis intelligendam esse docet; primum quod in Eliaca potius regione ab Hercule res gestae sint, [1]) deinde quod ad ceteras tres, quas nominavisset, Ephyras nullus unquam Selleis fluvius fuerit. Ceteri contra scriptores in aliam abeunt sententiam. Apollodorus II, 7; 6. et qui eum exscripsit, auctor argumenti in Sophoclis Traehinias, Tlepolemum ex Astyoche, Phylantis, Thesprotorum regis, filia et Hercule, qui Ephyram Thesproticam ceperit, genitum esse tradunt. Idem repetit Diodorus Sic. IV, 36. nihil varians nisi nomen avi, quem Phyleum appellat. [2]) Stephanus porro in voce Ἐφύρη Astyochen Ephyrae Epiri natam dicit; scholl. ad Pind. Pyth. X, 85. Thesproticam Ephyram intelligi volunt, Hesychius denique et schol. Villoisonis Selleentem fluvium in Thesprotia nominant, itemque Eustathius [3]) tres hoc nomine fluvios in Graecia fuisse

[1]) Haec causa non debuit afferri, quod ipsa est, de qua disceptatur.

[2]) In errore est Wesselingius v. cl. ad Diod. l. l. quod hunc eundem habet atque illum, qui in Iliad. XV, 530 occurrit.

[3]) ad Odyss. I, 259. p. 54. ed. Basil.

asse-

asseverat, et rursus, cum ad Il. II, 659, de Selleente locutus esset, mirum hoc addit: ad omnes vel certe plurimas Ephyras Selleentem fluvium dici, qui ipse in dubium vocetur, sicubi de Ephyra ambigatur. Quod si ita esset, equidem nesciam, cur Ephyra urbs, in quavis terrâ condita, perpetuum comitem habeat Selleentem. [1]) — Quî vero haecce interpretum serioris aevi de rebus geographicis testimonia infirmare possunt Strabonis, summi geographi, accuratissime in has res inquirentis, omneque vitae studium ad has quaestiones conferentis, auctoritatem? Pluris eam puto aestimandam, quam recentiorum ratiocinationem nimis acûtam, neque magis, quos Homeri locos, quibus sententia a Strabone prolata per se refutetur, in animo habuerit Mueller, Orchom. p. 418. equidem intelligo. Quid quod ipsa Herculis contra Thesproticam Ephyram expeditio ante Apollodorum nemini erat cognita, qui facile hanc ipsam ob causam, quod Homeri verba arbitratu suo ad Thesproticam retulerat, alia eaque serius ficta his annectere fabulamque suam concinnare potuit? Ita rationibus in Strabonis partes

[1]) Casu ad duas, Eliacam et Sicyoniam praeterfluit amnis, qui dicebatur Selleis, et hic nescio an ad imitationem illius ita dictus, cum incolae Ephyrae pagi jactantes, quod idem ferrent cum oppidanis nomen, etiam rivo suo idem nomen inderent, atque illi fluvio fuit.

du-

ducimur, reducimurque aliis in adversariorum sententiam. Nusquam enim de Astyoche Elide commorantem quidquam comperi nimisque commode multorum testimonia de Astyoche Thesprotia ejusque familia cum Homeri verbis congruunt, quam ut ea non conjungenda censeam. Quae cum ita se habeant, utra sententia alteri praestet, perdifficile est decernere ac constituere eoque paene adducor, ut dormitasse aliquando patrem Homerum et, quod ceteris Ephyris Selleentem addiderit, formula adsuetum, eandem repetiisse ideoque geographum accuratum ad controversiam ciendam movisse, credere non verear. —

Secundo loco Ephyra occurrit Il. VI, 152:

ἐστὶ πόλις Ἐφύρη μυχῷ Ἄργεος ἱπποβότοιο,
ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν, ὁ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν
Σίσυφος Αἰολίδης·

repetiturque v. 210. Ad huno locum, de quo multum verbis ambigebatur infra recurremus. Hoc praedicam: Corinthum ipsam hic intelligendam esse, cum scholiastae omnes arbitrantur, tum sequentibus spero fore ut evidentius appareat.

Sequitur Il. XIII, 301 sqq.:

τὼ μὲν ἄρ ἐκ Θρῄκης Ἐφύρους μετὰ θωρήσσεσθον
ἠὲ μετὰ Φλεγύας μεγαλήτορας·

Teste Strabone IX, 442 et excerpt. VII, 330. Ephyri hi in Thessalia sunt quaerendi iidemque sunt ac qui postea Cranonii dicebantur, simili nominis

nominis mutatione facta atque evenit Phlegyis, postea Gyrtoniis dictis. Adsentiunt Apollodorus, 1) Apollonius Soph. in lexico, probatâ Tollii emendatione, et Stephanus Byz. in voce. Contra Pausanias, 2) nescio qua ratione ductus, parum probabiliter Ephyros intelligi vult, qui Thesproticam Epirum incolent. Equidem, nisi certis testimoniis coactus, Straboni fidem derogare non soleo, neque Muellerus, Orchom. p. 193, Pausaniam erroris coarguere dubitat. Ne Hesychius quidem, qui Ephyros τοὺς. Ἀκαρνᾶνας interpretatur, nostrae sententiae refragatur, si modo corrupto ejus loco eadem ratione, qua Tolle l. l. Apollodori, medearis. Ceterum notam Hesychio a viro docto additam lectores velim animadvertant, exhibet enim „Ἐφυρούς i. e. τοὺς ἐχυρούς seu ὀχυρούς." Priusquam ab hoc loco discedo d'Anvillii errorem notandum puto, qui in tabula Graeciae geographica in Thessalia Ephyram et haud longo intervallo etiam Cranonem notavit, cum hoc certe satis appareat, Ephyram in Thessalia non modo non prope Cranonem fuisse, sed illa nomina ad unam eandemque urbem diversis temporibus pertinuisse. 3)

---

1) fragm. apud. schol. ad Iliad. XIII, 301.
2) IX, 36, 2.
3) Cineas apud schol. ad Pind. Pyth. X, 85. Eckhel. D. N. T. II. p. 136.

II.

Il. XV, 531: θώρηξ — τόν ποτε Φυλεὺς,
ἤγαγεν ἐξ Ἐφύρης, ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος.

Haec Ephyra sine ulla dubitatione est Eliaca. Comparatis enim cum nostro loco Il. II, 525 sqq. Apollodor. II, 5, 5. et III, 10, 8. quae narraturus sum, rata fient. Phyleus Augeae, regis Eleorum, filius, quod ad veritatem pro Hercule contra patrem testatus erat, ab hoc expulsus in insulam Dulichium se contulit, unde filius ejus Meges copias Trojam duxit. Hic in certamine Homeri tegitur lorica, quam pater Ephyra secum portaverat, donum Euphetae hospitis. Cui itaque alia Ephyra in mentem veniet, quam illa, quae haud procul ab ejus urbe patria sita ad patris ditionem pertinuit? Quis est qui poëtam, hac cuivis statim obvia silentio praetermissa, aliam longe dissitam, nullo distinctionis verbo addito, commemorasse, putet? Euphetes non in septentrione, sed in Peloponneso thoracem dedisse commode cogitari potest: licet enim Phyleus in Dulichium confugerit, non inde sequitur, eum etiam iter fecisse Ephyram Thesproticam haud mediocri spatio distantem.

Neque alia est Ephyra, cujus mentio fit in Odyss. I, 259:

ἐξ Ἐφύρης ἀνιόντα παρ' Ἴλου Μερμερίδαο·

Ulixes enim cum ab Ephyra repulsa accepta Itha-

Ithacam reverteretur in via ad Anchialum, Taphiorum regem, devertit, venenumque, quod Ilus negaverat, impetrat. Qui Taphii cum ad Acheloi fluvii vetus ostium sedem haberent,[1]) Ephyra, inter quam et Ithacam Taphii habitant, inferiori loco sita fuerit oportet, quam Taphiorum urbs. Alias enim Ulixes non via recta sed longas per ambages rediisset, quam rationem ut amplectamur nullum verbum nos invitat. Neque herbae veneniferae deerant Ephyrae Eliacae.[2]) Ilus quidem Mermerides secundum schol. ad Od. I. oriundus erat ab Iasone, qui cum Medea in Epirum venisse ibique ex ea Pheretem, patrem Mermeri, avum Ili suscepisse fertur: at in Elidem quoque Medea patefactis in Theseum insidiis pervenisse narratur,[3]) ut facile permutatio quaedam obversari possit. Est omnino tanta mythorum variatio[4]) in his rebus, ut multo plus causis ex geographia naturaque, quam ex affinitate ductis, tribuendum censeam.

Restat locus, de quo vix ambigi potest, Od. II, 328:

ἠὲ καὶ εἰς Ἐφύρην ἐθέλει, πίειραν ἄρουραν,
ἐλθεῖν, ὄφρ' ἔνθεν θυμοφθόρα φάρμακ' ἐνείκῃ.

---

[1]) I. H. Voſs Alte Weltkunde p. VI.
[2]) Il. XI, 741. Od. I, 261. II, 328. Strabo VIII, 338. ed. Casaub. ad quam ubique allego.
[3]) Schol. Villoisonis ad Il. XI, 741.
[4]) Sic. v. c. Schol. ad Pind. Nem. VII, 53. Ilum in Thessalia cogitatum vult.

Non

Non multis verbis opus est, ut lectori persuadeamus, iterum hic intelligendam esse Ephyram Eliacam. Proci enim timorem produnt, ne Telemachus Pylum et Spartam proficisci simulans a via deflectat Ephyramque se convertat, venenum inde petiturus. De loco igitur longe dissito cogitari nequit, neque scholion, quod Ἐφύραν τὴν Θεσπρωτίαν, in contraria plane ac Pylus et Sparta regione sitam, intelligi vult, molestias facessere potest.

His expositis non duplicem apud Homerum, uti Heyne ad Apollod. tom. II, p. 190 dixit, occurrere Ephyram, sed de quattuor diversis agi Ephyris, sole meridiano clarius est.

Ephyram Thesproticam, quae postea Cichyrus appellata est, post Homerum primus, quantum scio, commemorat Pindarus.[1]) De aliis hujus nominis urbibus et vicis locus gravissimus est apud Strabonem VIII, 338, quo praeter Eliacam, Thesproticam, Thessalicam et Corinthiacam, pagum cognominem prope Sicyonem ad Sellentem fluvium aliumque in Agraea Aetoliae, Ephyros denique in Perrhaebis, Macedonibus vicinos enumerat.[2]) Etiam insulae cuidam Ephyrae fuit no-

[1]) Nem. VII, 59. Tum Thucyd. I, 47. Apollod. II, 7, 6. Diod. Sic. IV. c. 36. Vellejus I, 1. Strabo VII, 324. et abunde de ea egit. I. Palmer. Graecc. Antiquitatt. II. c. 5.

[2]) Homerus, Ionius quippe, Dionysius Perieg.,

men,

men, quam Plinius h. n. IV, 12 in sinu Argolico ponit., Stephanus Byz. contra et schol. ad Il. VI, 152. haud procul a Melo insula collocant. In Arcadia quoque Ephyram fuisse Stephanus tradit, quae, quod Strabo nunquam ejus mentionem facit, hujus tempore jam diruta fuisse videtur, cum multas Arcadiae urbes continuis bellis deletas fuisse constet.[1])

Paululum a via deflexus redeo ad Ephyram, quae in Il. VI, 152 describitur, cujusque nomen Corintho cessisse dixi. Quod quamvis plerisque eorum, qui operae aliquid in antiquitatis cognitione posuerunt, ita exploratum est, vix ut confirmationis indigeat, tamen, ut reliquorum quoque virorum dubitatio eximatur, illustrissima ejus rei testimonia subjiciam.

Eumelus apud Paus. II, 1. totam regionem Corinthiam olim Ephyream vocatam esse tradit.
Heraclides Pont. de reb. publ. p. 8. ed. Koeler.
Callimachus fragm. 103.
Apollonius Rhod. Argon. IV, 1212. Bacchiadas, Corinthiorum tyrannos, Ephyrae ortos dicit.
Apollodorus I, 9, 3.

---

quippe qui dialecto epica utatur, illosque secutus Hesychius semper Ἐφύρην; Pindarus, Apollodorus, Strabo, Pausanias plurimique Latini Ἐφύραν dicunt.

[1]) Strabo VIII, 388. Neque magis expedire potui, quae sit illa urbs Βαγνέτια, cujus nomen postea in Ephyrae nomen transiisse dicit schol. ad Odyss. H, 269; scriptura corrupta videtur.

Virgilius

Virgilius Georg. II, 464. Ephyreïa aera dixit pro vasis et signis pretiosis ex aere Corinthio celeberrimo.

Propertius II, 6, 1. et Claudianus XVIII, 90. Laidem, quam Corinthi versatam fuisse lippis tonsoribusque notum est, Ephyream nominant.

Strabo VIII, 338.

Dionysius Perieg. v. 421. sinum Corinthiacum τὴν Ἐφύρης ἀντικρὺ θάλασσαν nuncupat.

Vellejus I, 3.

Ovidius met. VII, 391 Ephyren Pirenida appellat. Pirene autem cum fons Corinthi urbis dicatur, Ephyren eandem habuerit oportet ac Corinthum.

Silius Italicus XIV, 52 Syracusanos vocat Ephyraeos alumnos, Syracusas vero a Corinthiis conditas esse res est notissima. — Idem v. 180 Syracusas appellat Ephyraea moenia et v. 656 aera ex Ephyre commemorat, quae ad Corinthum pertinere quivis statim intelligat. In libro denique XV. v. 310. Philippum Ephyren lustrasse canit, quem Corinthum adiisse Polybius IV, 23. et 25. docet.

Statius in Thebaide VII, 105: Ephyraea litora, qua Acrocorinthos caput tollit.

Plinius h. n. IV, 4.

Hyginus fab. 275.

Hesychius et Stephanus Byz. in voce Ἐφύρη.

Claudianus VIII, 471. XVIII, 90. XXVI, 629. ed. Gesn.

Constantinus Porph. libr. II. themat. VI.

Schol. ad Apollon. Rhod. IV, 1212. ad Pind. Pyth. X, 85. Nem. VII, 55. Villoisonis ad Il. VI, 152. Eustathius ad Il. II. pag. 219.

Tot

Tot tantisque non modo poëtarum sed etiam probatissimorum historicorum testimoniis fidem negare, nisi ex repugnantiae causis aliisque aeque gravibus locis refutentur, arrogantis esse puto. Neque tamen desunt, qui, ne creduli videantur, nova commentari quam auditis adsentiri malint. In his Mannert vir cl., cujus merita deminuere neque volo neque possum, in l. l. vol. VIII. p. 357. itemque Sickler in libro suo geographico p. 288. Ephyram, cujus mentio fit Il. VI, 152. eandem esse atque antiquam Corinthum prorsus negant, potius a Pelasgis conditam priscis jam temporibus interiisse, a posterioribus vero interpretibus non secretam esse a Corintho, quod quo alio loco eam collocarent, nescierint Sisyphusque certe ad utramque urbem referendus sit. Sickler argumenta sua silentio praetermisit, Mannert duas profert causas. Primum quod Homerus nusquam se Ephyren divitemque Corinthum eandem habere urbem, ne verbo quidem significet, deinde quod Ephyren nunquam ornatius laudet eique omnino parum dignitatis tribuat, et in Il. VI, 152 aliam plane atque in qua Corinthus sita fuerit, designet regionem. Contra Berkelius ad Stephanum in voce Ἐφύρα, illo Homeri loco apposito, indignabundus haec exclamat: »Dico ipsum oculis carere, qui ex omnibus circumstantiis non percipit, poëtam hic de Corin-

Corintho loqui." Quod vero mireris, paulo ante idem Mannert, Homerum Ephyren fuisse antiquam Corinthi denominationem tacite assentire, concesserat, quod Sisyphum Aeoliden, quem alii Corinthi conditorem nominent, Ephyrae fuisse dicat. Ita v. d. sibi convenire non posse videtur. Quas sententiae nostrae probatorumque scriptorum auctoritati opponit causas, quantum valeant, nunc videamus. Prior est negativa, eoque infirmior, neque erat cur poëta adderet, quae omnes habuere nota, ut nostra aetate qui Anglos Brittos nominat, non veretur, ne non intelligatur. Altera causa duas continet partes, quam ut diluam res altius mihi repetenda est. Etsi iis accenseri nolumus, qui Homerum, vel qui alii sunt Iliadis Odysseaeque auctores, cum multo post Ilium captum cecinisse nemini ferme dubium videatur, ideo multas res et praecipue urbes, quae illo temporis intervallo inde a Troja capta usque ad Homeri aevum et nomine et re prorsus mutatae sint, non uti tempore belli Trojani sed sua aetate fuerint, descripsisse putent, quae est ipsius Velleji I, 3 sententia, hoc tamen probe scio, fines poëtae epici non ita esse coarctatos, ut pro solenni nomine antiquiori uti non licitum sit. Quis non meminerit, quam crebro Virgilius antiqua neque amplius usitata nomina pro quotidianis usurpet? Hanc rationem ornatum adferre carminibus, cum lectorum animis

mis simul antiqua in memoriam revocet, et potissimum loco esse accomodatam, in quo quis proavos ex antiquitate repetit, non est quod probem. Mecum consentiunt Eustath. ad Il. II, p. 219 et schol. Villoisonis ad Il. VI, 152, qui haec exhibent: τὴν κόρην (corige Κόρινθον) ἐξ ἡρωϊκοῦ προσώπου εἶπεν. Quoties vero poëta vetus nomen retinet, opulentiam, quae nunquam, quamdiu Ephyre audiit, in illa urbe fuerat, commemorare non potest. Quae mea explicandi ratio tam expedita videtur, ut valde mirer, Siebelim v. d. editis Hellenicis valde meritum, ad prolepsin, quam dicunt, suadente Vellejo confugisse. — Quod ad alteram secundae causae partem pertinet, jam Muellerus, cum judicium ferret de libro Mannertiano in indicibus literariis Goettingensibus Homeri verba ἐν μυχῷ Ἄργεος non, ut ille voluerat, « im Innern des Busens von Argos liegt eine Stadt Ephyre », vertenda esse, sed vim Latini habere docuit: « in recessu montium Argivae regionis, » ad quam sententiam facit locus Pausaniae II, 1, 1. « Corinthia terra pars est Argivae ». Etiam, si Mannert memor fuisset loci Strabonis VIII, 371. in fine, in aliam credo ivisset sententiam. Illic enim Argos pro universo Peloponneso dici, exemplis ostenditur; idem schol. Villois. et Eustath. docent, quorum hic addit: ἐν μυχῷ i. e. ἔνδον, οὐ μὴν ἐν μυχαιτάτῳ καὶ ἐνδοτάτῳ.

Etiam

Etiam Etym. M. v. μυχότατος Corinthum μυχῷ Ἄργεος i. e. οὐ τῆς πόλεως ἀλλὰ τῆς Πελοποννήσου[1]) sitam esse, quin optimo jure dici possit, non dubitat. Nova denique ratione rem expedit Steph. Byz. v. Ἐφύρη, quem, Glauco in oriente habitanti Corinthum in recessu sitam videri, mirum non habet.

Quamlibet igitur amplectaris rationem, caussas Mannerti ad firmandam suam rationem nihil facere, satis demonstrasse mihi videor.

In hunc locum delatus, facturusne operae pretium sim, si qua ratione et quam ob rem factum sit, ut multae ejusdem terrae urbes eodem appellatae sint nomine, exposuerim, minime dubito. Nam fortunam ejus rei auctorem facere nequaquam decet, amentisque est; quin potius causam scrutari debemus, sine qua neque eorum, quae rationem manifestam habent, neque eorum quae praeter rationem fieri videntur, evenire quidquam posse probe negat Polybius II, 38. Cum vero neque in situ, neque in tempestate, aëre, solo similitudinem insignem animadvertamus, neque ob originis stirpisque communionem commune nomen tulerint, nec denique occupationis ratione aut vivendi modo prae ceteris excellerent, relinquitur, ut in vim significationemque vocabuli Ἐφύρα inquiramus, ut, num forte in ipso nomi-

[1]) Virgilius quoque in Aeneide II, 177 et 326 Argos posuit loco totius Graeciae.

ne res omnibus communis sit expressa, intelligatur. Eumeli enim[1]) et qui deinceps eum secuti sunt[2]) ratio nemini cuiquam facile satisfacere potest. Urbem enim nomen ab Ephyra heroina quadam Epiemthei, vel Oceani Thetyosque filia, Epimetheique uxore traxisse fabulantur; quae verba Mannert ita interpretatur: advenam quandam navibus advectam urbem condidisse. Recte, non repugno, hoc fieri potuisse concedo, si de una urbe cogites. Jam vero suspecta mihi ista narratio fit, simulac plures Ephyrae maritimae mentem meam subeunt, et quid tandem, quae in media terra sitae sunt, hae quoque originem suam debent peregrinae nymphae marinae? Tam levi argumento rem transactam putaverunt? Cuivis homini prudenti et considerato hac ratione tenebrae non videbuntur sublatae, nisi forte aliquis, septem urbes, in diversis regionibus collocatas, nullo, nec religionis, nec societatis, vinculo conjunctas, heroinae nomen tanquam pignus diuturnae salutis et incolumitatis elegisse sibi persuaderi patiatur. Originis quidem communio, si quis nihil intactum reliquerit, nescio an ostendi possit, cum multi sint, neque veterum testimoniis destituti, qui in omnibus illis regionibus, in quibus Ephyras urbes

1) apud Pausaniam II. 1.
2) scholiastae ad Homerum et Apollon. Rhod. Argon IV, 1212.

in-

invenimus, olim Pelasgos sedes habuisse dicant. Sed hanc rem ad liquidum unquam perductum iri diffido, nimisque incertam, cum ob veterum, tum recentiorum dissensionem puto, neque etiam origine communi concessa, quidquam pro nostra quaestione lucrati sumus. Quae cum ita sint, etiam ex gentium cognatione commune nomen explicari non posse intelligitur. — Ne longus sim, quid mihi videatur, proferam. Ἐφύρα sensu appellativo antiquissimis temporibus quaevis urbs dicebatur, quae arte aut natura munita latrones et piratas rapinis populationibusque prohibere hostiumque impetum arcere et repellere posset. Illis enim temporibus Graeci, auctore Thucydide,[1]) semper ferrum gestantes mutuo se diripiebant, rapinae cupido omnibus erat communis et piratarum latronumque quaestus tantum abest, ut turpis fuerit, ut inde potius haud parum laudis et gloriae consequeretur, donec tandem fessi rapinarum, quo tutius contra piratas se defenderent, singuli pagi in unam civitatem coalescentes urbes, in quas hostibus adventantibus confugerent munierunt. Quaecumque igitur novissime sunt conditae, cum Graeci jam et mari liberius uterentur et opibus vigerent, in ipsis litoribus expositae moenibus cingebantur orasque et penin-

[1]) Thucyd. I, 5. et 7. Poppo ad Thucyd. P. I, vol. II. p. 11.

sulas

sulas cum negotiandi causa, tum, ut adversus finitimos firmiores essent, occupabant. Haec cum Thucydides scripsit, nonne de ipsa Corintho cogitasse videtur? Qua igitur re tunc temporis urbes videbantur eximiae civibusque utiles, qua vicis praestabant, dico munimenta sive manu sive natura loci facta, ex ea traxere nomen, eademque de causa factum est, ut incolae principio non dicerentur Ἐφυραῖοι sed Ἔφυροι i. e. muniti, tuti muris. Quam terminationem etiam Strabo retinebat in nomine eorum, qui in Agraea, Perrhaebia, Cichyri et Cranone habitabant; Homerus quoque Cranonios adhuc Ephyros, Pindarus vero jam Ephyraeos dixit.[1]) Illo nomine simul antiquitas urbium declaratur, cum singulae adhuc in late patentis regionis spatio ita ante ceteras eminerent, ut κατ' ἐξοχὴν castella nominarentur et postea demum, cum jam plures easdem nactae essent opes, aliis nova inderentur, aliis antiquum, quod nunc proprium erat factum, residuum esset.[2]) Neque haec nominis origo inaudita est. Chalcis Euboeae a metallorum abundan-

[1]) Strabo VIII, 338. Il. XIII, 301. Pind. Nem. X, 85. (55.)

[2]) Etiam Stephani locus v. Ἐφύρα, in quo errores manifestissimi sunt, illud vocabulum quondam appellative fuisse usurpatum, argumento esse potest. Multas enim eodem nomine appellat, easque cum iis, quae ab aliis nominantur, confundit.

tia,

tia, Aphetae Thessaliae, quod ibi Argo navis in mare demissa sit, nomen accepisse dicuntur. [1]) Similis causa saepe urbibus in nosta patria nomen dedit, v. c. urbi Muenden ostia Werrae et Fuldae fluviorum, plane eadem atque Ephyrae natura castello prope Moguntiacum, quod nomen ad hunc usque diem, paululum ore agricolarum corruptum, servat. — His perlectis plurimum probabilitatis summamque veri speciem sententiae meae inesse, non facile quisquam negabit: eam praeterea linguae quoque legibus firmari, nunc probatum eo. Quod factum puto, si primum adjectiva ἐφυρός et ἐχυρός eadem, dialecto tantum diversa, tum ἐφυρός et ὀχυρός idem significantia esse ostendero; quibus probatis etiam ἐφυρός et ὀχυρός, secundum regulas mathematicas eadem designent oportet.

Literae adspiratae φ et χ idem valent ac tenues π et κ, nisi quod ipsa adspiratio addita est, ac similiter respondent mediis β et γ; quod si vero tenues et mediae in diversis dialectis, non dicam confunduntur, sed permutantur, idem fieri posse factumque esse in aspiratis, analogia docet. Permutantur autem π et κ v. c. in vocabulo κύαμοι, quod Dores reddiderunt πύαμοι; [2]) idem κ locum occupat τοῦ π multis in verbis e. g.

[1]) Mueller. Orchom. p. 131. et 252.
[2]) Maittaire de dialectt p. 504.

Atti-

Atticorum κοῖος, ὁκοῖος, κόσος, ὁκόσος ab Ionibus scribuntur κοῖος, ὁκοῖος, κόσος, ὁκόσος. Eandem permutationem usu fuisse in literis mediis β et γ exempla luculenter ostendunt.[1]) Etiam χ interdum vices literae φ implet, v. c. pro κόσσυφος mutatis duabus σ in ψ, dicunt κόψιχος [2]) Quibus praepositis non temere argumentari mihi videor ἰχυρός et ἰφυρός potuisse commutari: ex ipsa enim linguae natura et structura fieri potuisse, satis apparet, licet nulla alia ejusmodi in promtu sint exempla,[3]) quibus quod caremus, eo minus opinionem meam mutat, quo minus certi de antiquissima Pelasgorum lingua ad nos pervenit. Ad hos enim refero prima urbis fundamenta ipsamque illam dicendi formam cum, adnotante Mannertio VIII, p. 495, in omnibus terris, si ab una Elide recesseris, in quibus Ephyras urbes offendimus, etiam Pelasgi aliquando sedes habuisse dicantur. Et quis tandem eorum fines tam accurate constituere audeat, ut nullos unquam in Elidem transiisse illiusque Ephyrae fundamenta jacere potuisse affirmet? aut denique longe a verisimilitate recedit, si illam Elidis urbem muni-

---

1) Idem p. 489. et 491.
2) Idem p. 517.
3) Nisi huc trahere vis ἔχις et ὄφις, quod exemplum adtulit Riemer in lex., cujus etiam nota v. ἰχυρός in meam sententiam sum adductus.

tam,

tam, etiam si a Pelasgis neque condita neque habitata fuerit, ad similitudinem ceterarum nomen accepisse ponimus? — Discrimen autem illud, quod recentiores statuerunt inter ἰσχυρός et ὀχυρός, ita ut illud de homine fido et certo, hoc de rebus munitis dicatur, vanum esse et de aëre sumtum cum sexcenti loci testantur[1]) tum jam inde intelligitur, quod saepissime codices alii alteram formam exhibent.[2]) Causas sententiae meae proposui, num justas, an leves et temerarias a peritis edoceri cupio. — Quo tempore et modo novissimum nomen *Corinthus*[3]) in usum venerit parum liquet. Sickler l. l. p. 287. ea, quam modo institui, ratione usus, nomen Κόρινθος e saltuosa et super ceteras valde eminente regione ducum atque e vocabulo κόρυς, κόρυθος, quod montis verticem significet, derivatum vult. Quae etymologia profecto non talis est, ut acumine se commendet. De tempore, qui Pausaniam II, 1, 1. adierit,

[1]) Ex larga exemplorum copia haec laudasse sufficiat: Thucyd. I, 90. Xenoph. Cyropaed. II, 4, 13. III, 3, 27. V, 4, 37 ubi τὰ τειχῆ ἰσχυρὰ ποιεῖν paulo post redditur verbis ὀχυροῦσθαι τὰ τειχή. V, 1, 15. et 20. Anabas. I, 2, 22. II, 5, 7.

[2]) Schaefer meletem. critt. in Dionysii art. rhet. p. 16.

[3]) In genere variant scriptores; ἡ Κόρινθος est apud Pind. Ol. XIII, 4; frgm. 87, 1. Polyb. IX, 67. 8. Strabo VIII, 377. ὁ Κόρινθος in Il. II, 570, et apud Strabon. VIII, 378. et 380. Idem inconstantiae exemplum Pylus praebet.

adierit, non diu quid respondeat haerebit. Delectatur scilicet repetendis vulgi narratunculis, cui nihil praeclarius videtur, quam a Diis et heroibus trahere originem. Ut igitur Ephyram urbem ab Ephyra Oceani filia appellatam dixerat, sic Corinthum nomen a Corintho rege [1]) Marathonis filio, cui patrii regni altera pars obtigerit, dum altera Sicyoni fratri obvenerit, profectum esse putat. Ita rem brevissime absolvit, neque ejus ratio primo intuitu non probanda videtur. Ex Eumelo enim, qui ipse e gente Bacchiadarum res Corinthias carmine descripsit, sua sumsit adeamque provocans Corinthiorum patres a Sole ipso ita deducere non dubitat: Solem Aeetes filius excepit, qui, cum jussu oraculi Iolcon abiret, Buno Mercurii filio imperium ea conditione tradidit, ut aut sibi redeunti, aut suis redderet; quem Epopeus, Marathon et Corinthus deinceps secuti sunt, quo sine prole mascula mortuo, Medea Iolco arcessita est, quae in patriam reditura Sisypho regnum tradidit. [2]) — Vellejus contra I, 3. Aleten nominis Corinthi auctorem facit, quae est sententia e contrario diversa. Accuratius utramque inspiciamus. In iis, quae Eumelus tradit, multa sunt, quibus offendamus. Epopeus enim,

---

[1]) Ita Heraclid. Pont. quoque p. 8. et Eras. adagg. p. 578. ed. Amstelod.

[2]) Paus. II, 3, 8. Scholl. ad Pind. Ol XIII, 74.

ad

ad quem Antiope Nyctei filia confugit, quique cum ejus patre bellum gessit, regnaverit oportet circa annum a. Ch. n. 1315,[1]) Corinthus tertius ab eo a. 1255, quo tempore Sisyphidas Corinthiis imperasse videbimus. Neque Medea, quam cum Iasone, finita Argonautarum expeditione, in Graeciam aufugisse inter omnes constat, ante Sisyphum, cujus aetas satis explorata est, vivere potuit. Pausaniae testimonium cum per se ipsum refutetur, alterum Velleji restat, quod non magis verum habeo. Ab Alete enim urbem *Jovis* Corinthum appellatam esse, turba scholiastarum testatur; cur Jovis explicare inter se certant, cur Corinthus omnes tacent, quare Corinthum nomen ante Aleten in usum venisse et ex alia causa, nescio qua, ortum censeo. Homerus urbem modo antiquiori, modo rcentiori nomine appellat,[2]) quodsi vero omnia ita descripsit, uti vere tempore Iliaci belli fuerant, jam ante belli initium urbi recens nomen fuerit oportet.

---

[1]) Paus. II, 6. 2. Lycus, Nyctei frater, bellum septem ducum contra Thebas, anno XXXVII ante Trojae eversionem geri coeptum, LXXX annos praecessit.

[2]) Il. II, 570. VI, 152. XIII, 663.

CAP.

CAP. IV.

HISTORIARUM INCUNABULA.

§. 1. *Sisyphus.*

Riderent sane Thucydides et Plutarchus, si modo in vivis essent, inceptum nostrum sedulitatemque laboris, ille quod in primo historiae suae initio quae bellum Peloponnesiacum antecesserunt hisque antiquiora ob temporis intervallum perspicue cerni posse negavit, neque omnino valde magna fuisse e signis conjecit; hic quod vitam Thesei scripturus veniam a lectoribus petiit, si forte fabulosa, arte critica non discriminanda, iis propositurus sit. Nos vero qui permulta post illos secula, exteri, testimoniis multo magis atque illi destituti, spuriis repugnantibusque facile in errorem ducendi, qua de re veteres illi narrantibus adhuc aequales, ejusdem patriae ac loci non liquere pronuntiaverunt, de ea certi quidquam constituere audeamus, nonne ridiculi cuivis homini prudenti atque considerato videamur necesse est? Haec mecum reputans colligendis componendisque etiam minutissimis tandem rem transigere ejusque quaestioni finem facere pro virili parte studui.

Si ultimam temporum memoriam replicamus et vetustissima antiquitatis monumenta excutimus,

Corin-

Corinthios (Ovidii, qui incolas pluvialibus editos fungis i. e. indigenas dicit [1]) et Pelasgorum, de quibus nihil certi habemus, nulla ratione habita) ex eadem stirpe, qua Minyae, Iolci et Salmonites Elidis oriundos [2]) Aeolesque, usque dum Heraclidarum sub ditionem venerunt, nominatos fuisse deprehendimus; [3]) itemque tempus, quo primum illucescit, a Sisypho Aeoli filio incipit. Quae hoc antiquiora sunt ad meras fabulas pertinent et quos reges Paus. II, 3, 8. inde a Sole usque ad Corinthum enumerat, hi omnes mythis repugnantibus ita involuti sunt, ut *historiae* eos annectere mihi non vindicem.

Sisyphus autem, quum tanta de ejus vafritia hominum esset opinio, ut quem ad modum Hercules roboris, Helena pulchritudinis ita ipse astutiae summum afferri soleat specimen, [4]) narrationis initium satis perspicuum est. Qui sit

---

1) Metamorph. VIII, 391.
2) Mueller. Orchom. p. 140.
3) Thucyd. IV, 42. Strabo VIII, 333.
4) Il. VI, 153. Theognis v. 702. Pind. Ol. XIII, 72. Horat. sat. II, 3, 21. Diodor. frgm. VI. T. IV. p. 10. ed Argent. Nomen ipsum ob eximiam ingenii vim ei inditum esse, Eustath. hac ratione ostendere conatur: Σιός Peloponnesiis idem valet ac θεός, Aeolesque σοφόν dicunt σύφον, quare Σίσυφος significat θεόσοφον. Heindorf v. cl. ad Horat. l. l. eo procedit, ut Sisyphum, i. e. σοφόν reduplicata prima syllaba, non nisi prosopopoeïam vafritiae esse dicat idemque repetit Riemer in lexico. — Ob inge-

in

in fabulis, qui in historiis discernere conemur. — Gente dicitur Aeolides ex Enarete, nepos Hellenis, Deucalionis pronepos, Crethei, Athamantis, Salmonei aliorumque frater. [1]) Imperium Corinthiorum a Medea, quae, sive amore singulari impulsa, ut Theopompus tradidit, [2]) sive quod eum tanto munere prae ceteris dignum duxit, eum sui heredem instituerit, accepisse tradit Paus. II, 3, 8. Sed ad contrariam sententiam Euripides invitat, apud quem Medea in dramate cognomine v. 409. Corinthios jam Σισυφείους, et v. 1390 terram Corinthiam γῆν Σισύφου appellat. Appollodorus quoque I, 9, 28. Medeam Corinthi regnasse tacet, sed per decem annos ibi commoratam, cum Iason a rege gener adscitus fuisset, hujus uxorem suosque ipsius liberos interemisse Athenasque, alatis draconibus vectam, aufugisse dicit. Pausanias, cui plures scholiastae adhaerent, illius narrationis unicus est auctor. — Imperio potitus urbem condidisse fertur, ut vero κτίζειν νησόν, χώραν significat: insulam, regionem deducendis incolis frequentare, ita κτίζειν πόλιν hoc loco non de primis urbis fundamentis, sed

nii calliditatem M. Antonius pumilionem, quem alebat, Sisyphum nuncupabat. cf. Schol. Cruq. ad Horat. sat. I, 3, 47.

1) Hom. et Theogn. l. l. Euripid. frgm. XLVII, 5. p. 108. T. IV. ed Zimmerm. Apollod. I, 7 et 9. Ovid. met. XIII, 26. Horat. od. II, 14, 20.

2) Schol. ad Pind. Ol. XIII, 74.

de

de ejus amplificatione et ornatu est accipiendum.[1]) In matrimonium duxit Meropen, [2]) Atlantis et Plejones Oceanididis filiam, ex qua Glaucum suscepit. Quaecunque de Sisypho narrantur in ejus laudem verti possunt, efficiendo v. c. ut aquae copia semper suppeteret, vitae subsidiis consuluit ejusque diuturni conatus, quibus denique res prospere successit, fabulae, quam Pausan. II, 5, 1, reddit, occasionem praebuerunt. Fontem hunc ex Asopo fluvio, qui aquam subpeditasse dicitur, deductum fuisse, ob fluvii longinquitatem credere non possumus. — Ludos isthmicos, eosque noctu celebrandos in honorem Neptuni instituit,[3]) quos deinde, cum ob latrocinia aliquamdiu haberi desiti essent, Theseus, latronibus sublatis, instauravit, iisque, Atheniensibus suis a Corinthiis προεδρίαν pactus, nova certamina die ineunda addidit.[4]) Ludorum causae plures a scholl. ad Pind. proponuntur, in quibus et pestis expianda. Aliter Pausanias, qui II, 1, 3. I, 44, 11. Melicertam puerum, Athamantis filium, quem Ino

[1]) Sturz ad Pherecyd. frgm. p. 179. Ita in Diod. Sic. IV, 68. Neleus Pylum condidisse dicitur, quae Neleo multo antiquior erat. cf. Voss. ad Vell. Pat. I, 3.

[2]) Apollod. l. l. et III, 10, 1. Ovid. fast. IV, 174.

[3]) Schol. ad Pind. in argum. ad Isthm. Apud Pausaniam V, 24. elegici versus leguntur, in quibus locus ludorum χυων Σισυφία dicitur.

[4]) Plut. Theseus c. 28.

mater

mater de saxo Moluride, quod est in Sciradum jugo, in mare secum praecipitem dederat, a delphino evectum, ad Corinthiam appulsum, a Sisypho vero in isthmo humatum ludosque in ejus memoriam institutos esse narrat. Memorabile hanc in rem fragmentum Pindari nobis servavit Apollonius Dyscolus de syntaxi II, 21. p. 158 Sylb.:

Αἰολίδαν δὲ Σίσυφον κέλοντο (Nereides)
ᾧ αὔτης (Inus) παιδὶ τηλέφαντον ὄρσαι γέρας
ἀποφθιμένῳ Μελικέρτᾳ.

Verum nihil adtinet ludorum causas tam religiose exquirere. Nunquam enim ad res optatas perficiendas nobis causae species deerit et Sisyphum probe gnarum fuisse, quantum emolumenti cum Graeci universi ex tali conventu et certamine, tum Corinthii ex hospitum multitudine capturi essent, cogitare sufficit. Morti ipsi vim nociferam per tempus quoddam detraxisse fertur. Juppiter enim iratus, quod Sisyphus Asopo quis filiam rapuerit prodidisset, illi mortem immisit; quem cum vinxisset Sisyphus, contigit, ut nemo moreretur, donec Mars (belli furor) eum solvit Sisyphumque in ejus manus tradidit. Neque diu ipsius Plutonis tulit imperium. Blandis enim verbis cum a Proserpina commeatum impetrasset donec justa mortuo solvenda repetiisset, Corinthum revertitur ibique remanet. Historiola est

apud

apud Pherecydem [1]) neque difficilis enucleatu. Mite et sapienter Corinthiis assidue imperitasse, eorum commodis diligentissime consuluisse ac prospexisse, vitam pacificam et tranquillam praebuisse, omnes curas, cogitationes, vigilias in civitatis suae salute defixisse, plus consilio, quam vi gessisse, alienus a belli cupiditate et crudelitate, pacis artibus unice intentus, rem Corinthiacam auxisse videtur. Mecum consentit Eustathius, qui ad Il. VI, 153. ita loquitur: ἔοικε δὲ Σίσυφος εἰρηναίαν ἀρχὴν ἄρξαι καὶ τοῖς ὑπ' αὐτὸν ἀκίνδυνον, διὸ καὶ δῆσαι τὸν θάνατον λέγεται. Neque unquam Corinthiis ante Heraclidarum reditum tantum virium roborisque fuit, quantum Sisypho rege. Cujus generis hoc regnum fuerit, num ejus solius, muneribus summi ducis, judicis, sacerdotis ex ritu et arbitrio fungentis, an cum senatu quodam et populi concione communicatum legibusque accurate definitum, licet nihil a scriptoribus dicatur, illud fuisse ex illius temporis more ac ratione affirmare possumus. Sisyphum itemque Neleum in isthmo sepultos quidem esse, sed eorum sepulcra, cum paucis tantum aequalibus nota fuerint, non amplius deprehendi posse narrat Pausan. II, 2, 2. Ibidem Eumelum etiam de Sisyphi sepultura egisse cognoscimus, at risum auctor nobis movet, quod

1) Frgm. XXXI, p. 165. ed. Sturz.

Nelei monumentum ne Nestori quidem ipsi a Sisypho demonstratum esse dicit, cui quidem semel ex inferis redire, neque vero, cum jam dudum membra ejus in putredinem abiissent, antiquitatum demonstratorem agere contigit. Cur poenas apud inferos dederit variae afferuntur causae, quod Iovis secreta vulgarit, quod Morti restiterit, Orco imposuerit et tales complures; quarum poenarum modum qui cognoscere cupit adeat locos in nota laudatos.[1]) Sunt alii, in quibus Humphridius Brideaux ad marmora Oxoniensia, qui ex permutato nomine Sisypho nostro has poenas falso attributas esse putent. Cum enim secunda post Sisyphum Corinthium aetate alius fuisset in Graecia Sisyphus, ob latrocinia et vim Anticleae, Ulyssis matri, illatam famosus, convenientia nominis factum esse, ut quae ab isto latrone commissa fuerint scelera nostro attribuerentur, ad quae expianda gravissimas poenas eum in tartaro subiisse a poëtis esse fictum. Quod viri docti patrocinium eo gratiori animo accipiendum censeo, quo praeclariora in illius natura et vita animadvertisse nobis videmur.

Restat, ut de Sisyphi aetate disseram. Licet enim v. d.,[2]) cui in rebus mythologicis non ulti-

[1]) Odyss. XI, 593 sqq. Apollod. I, 9, 3. Cicero Tuscul. quaest. I, 5. Ovid. met. XIII, 36. Horat. od. II, 14, 20. epod. 17, 68.

[2]) Mueller Dor. P. II. p. 483.

mae

mae tribuendae sunt, nuper: res mythicas qui ad certum annum redigere velit, nunc jure ineptum habitum iri, pronuntiaverit, tamen, quod studio veritatis quam proxime ad eam accedimus, hujus posteriorumque regum aetatem paulo accuratius definire conabor. Mirum enim quantum in aetate Sisyphi constituenda auctores dissentiunt et ex parte manifesto errant. Pausanias v. c. cum Sisyphum Iasone et Medea juniorem dicit, temporis rationem plane turbat. Post expeditionem enim Argonauticam, quam fere in a. a. Ch. n. 1225 cadere plerique consentiunt,[1]) cum Iason Corinthiis per aliquod tempus imperasset, tantum abest, ut Sisyphus regnum obtinuerit, ut, nisi in Methusalemianam aetatem pervenerit, ne in vivis quidem esse posset. Quam falsa Pausaniae computatio sit, iis, qui Homerum attente legerint, mox videbitur. In aureo enim illo Iliadis loco (VI, 144 sqq.) Sisyphi abnepos prodit avitumque hospitium cum Diomede redintegrat, a quo sursum versus numerantes Sisyphum circa annum a. Ch. n. 1343 natum fuisse apparebit. Glaucus scilicet, qui nepotem Bellerophontae, filium Hippolochi se profitetur, ultimo Trojae loquitur anno, quem a. Ch. n. 1184. fuisse Eratosthenes

[1]) Petav. rat. tempp. II, 121.

 probe

probe ostendit,[1]) et cum juvenili adhuc aetate esset, (nondum enim conjugium inierat, ejusque pater in bellum proficiscentem fortiter pugnare jusserat[2]) natalis ejus non temere ponetur in anno 1210, patris ferme in a. 1243, avi in a. 1276, proavi Glauci in a. 1310, Sisyphi denique in a. 1343. Quare, quod Pausanias et nostra aetate Banier, Freret et Larcher[3]) vv. dd. a Medea Sisypho imperium traditum esse affirmarunt, nunquam satis mirari possum. Argonautarum enim expeditio cum secundum Larcherum[4]) 80 annos, secundum Clementem Alexandrinum 76 et Petavium 41,[5]) Sisyphus vero secundum Homerum certe 150 annos Trojana eversione prior esset, Medea Sisyphi nepoti potius, quam hujus avo aequalis esse potuit. Quid quod illud aureum vellus, quod Iason et Medea e Colchide reportaverunt, a Phrixo, cui Sisyphus patruus erat, illuc fuit allatum? — Equidem, ut summam eorum quae disputavi faciam, Sisyphum inde ab a. a. Ch. 1300 — 1266 regnum tenuisse conjicio.[6])

---

1) Petav. rat. tempp. II, 125.
2) Il. VI, 207.
3) Illi in memoires de l'Académie des Inscriptions et Belles Lettres, Tom. VII, Mém. de Litt. p. 71 et 97, hic in histoire d'Herodote. tom. VII, p. 578.
4) L. l. p. 351.
5) Doctr. tempp. II, 122.
6) Larcher, qui p. 575 Sisyphum Corinthium a.

§. 2.

§. 2. *Polybus.*

Apud Sophoclem saepius [1]) Polybus Corinthiorum rex, Lajo Thebanorum regi paene aequalis, Oedipi nutritor nobis obviam it. Euripides [2]) Oedipum ad Polybum regem, Cithaeroni monti vicinum, perlatum esse dicit. Apollodorus [3]) Polybum diserte Corinthiorum regem nuncupat et Strabo [4]) Oedipum a Polybo Teneae, quam pagum agri Corinthii fuisse diximus, educatum narrat. Diodorus [5]) eandem, ut tragici, rem enarrans Polybum regem commemorat, quibus imperaverit, non addit. Parthenius quoque [6]) Alcinoes patrem Polybum Corinthiorum regem dicit. Scholia denique ad illum Euripidis locum optionem nobis faciunt. Polybum enim ab aliis Cotinthiorum, aut Boeotiorum regem habitum, ab aliis in cista collocatum et in mare dejectum ad oram Corinthiam appulisse dictum esse tradunt. Verum in Sicyoniorum quoque regibus Polybum quendam

1385 natum fuisse et ab a. 1328 per octo annos regnasse statuit, quod opinionis suae inconstantiam sensisse videtur, ex ingenio Sisyphum Aeoliden a Corinthio, quos incuria scriptorum confuderit, distinguendum, nullo veterum adsentiente, docuit.

1) Oedip. R. vv. 774, 827, 936, 939.
2) Phoeniss. v. 28.
3) III, 5, 7.
4) VIII, 380.
5) IV, 64.
6) erotic. c. 27.

videmus.

videmus.[1]) Ambos ex summa antiquitate repetendos esse apparet, num distinguendi sint, an minus, nunc inquiramus. Polybum Sophoclis, Laji aequaevum, Oedipi nutritorem intra annos 1295 — 1235 rebus praefuisse ex hac computatione elucebit. Bellum septem ducum contra Thebas geri coeptum est secundum m. Par. a. 1251, secundum Clementem Alex. 1231 a. Ch. n. Unus annus ab Adrasto ceterisque sociis parando bello insumtus est (1232); per unum annum Eteocles regnum tenuerat (1233); Oedipus regnaverit triginta quinque annos, quo enim tempore a regis munere se abdicavit, quattuor liberos habuit valde adultos (1269 — 1234); Creon Iocastae frater inde a Laji caede usque dum Oedipus ob Sphingem interemtam imperium Lajique viduam reportaret, quattuor annos reipublicae gubernaculum tenuerit (1273 — 1269); Lajus cum iterum rerum potitus esset, per triginta utique annos summam potestatem habuerit necesse est, quod ex Iocaste uxore, quam, regiam dignitatem adeptus, duxerat, diu liberos non procreasse et postea demum, sive vino largius sumto, sive stolidis amicorum consiliis victus, filium genuisse dicitur, qui annorum ferme viginti, Corintho relicta variis jactatus casibus in patriam redit, patrem-

[1]) Herod. V, 67. Paus. II, 6, 3. Schol. ad Pind. Nem. IX, 30.

que

que nescius occidit (1304 — 1274); Amphion denique regnum usurpatum tenuisse videtur, cum multos liberos patre regnante genitos relinqueret, per undecim annos (1316 — 1305); Labdaco mortuo, infante Lajo, Lycus hujus tutor regnavit quindecim annos (1331 — 1316); Lajus igitur, qui cum pater moreretur, unius erat anni, natus est a. 1332.[1]) Quae si recta ratione sunt computata, Polybus, cujus ipsius mors lugubrem Oedipi cum Iocaste consanguinitatem patefecit,[2]) quo dixi tempore regnarit oportet. Neque sexaginta annorum spatium longius aequo videri potest, cum ipse senio confectus,[3]) ejusque uxor, a Sophocle Merope, ab Apollodoro Periboea nominata, cum diu gignendo non esset, Oedipum infantem libenter excepisse suumque dixisse narretur.[4]) — In Polybi Sicyonii aetate constituenda breviores esse possumus. Ab Herodoto l. l. Adrasti, Polynicis in bello contra fratrem socii, avus; a Pausania l. l. vel quintus inde ab Erech-

[1]) Causas ratiocinationis meae suppeditarunt praeter Sophoclem in Oed. R. Apollod. III, 5, 4. sqq. Paus. II, 6, 2. IX, 5, 2 et 5; 26, 2, X, 5, 2. Petav. I, 43. Larcher, quod Trojam 87 annos prius, quam Erathostenes dirutam esse censet, constanter etiam Laji natalem in a. 1417. collocat.

[2]) Oedip. R. 955 — 1185.

[3]) Ibidem v. 963.

[4]) Euripid Phoeniss. 431. Apollod. III, 5, 7.

theo

theo Atheniensi vel quartus fuisse dicitur. Quod scire satis est, ut eum circa annum 1312 natum et ab a. 1265 — 1235 regnum tenuisse statuamus. Erachtheum enim inde ab a. 1402 — 1352 regnasse vulgaris est opinio, a quo tempore si trium aetatum annos demseris, vel initio belli Thebani duas generationes Adrastique aetatem addideris, iste, quem dixi, annus efficietur.

Quem igitur Sophocles et, qui ab eo pendent, Apollodorus et Parthenius Polybum dixerint, hunc Sicyoniae regem fuisse satis elucet, iterumque poëtas tragicos rerum historicarum parum accuratos auctores esse deprehendimus. Quo enim tempore Sicyone Polybus clavum imperii tenuit, Corinthum sub Sisypho posterisque floruisse vidimus. [1])

§. 3. *Sisyphi filii.*

Praeter Glaucum Sisyphus alios tres genuerat filios, Ornytionem, Thersandrum et Almum sive Halmum,[2]) e quibus Glaucum in ludis funebribus, quos patri Peliae edidit Acastus, ab equabus suis discerptum et in ejus memoriam Taraxippum, quem vocant, in isthmo exstructum esse, auctor est Pausanias. [3]) At haec narratio errore,

[1]) cf. Clavier ad Apollod. III, 5, 29. Tom. II, p. 386.
[2]) Paus. II, 4, 3.
[3]) VI, 20, 9.

quem

quem modo perstrinximus, laborat. Quo enim tempore Peliae parentalia celebrata sunt, i. e. post Argonautarum reditum, Sisyphi filius natu maximus non amplius certaminibus delectari potuit. Neque ceteri, qui illiud festum describunt, ut Apollodorus, Ovidius illius rei sane memorandae mentionem faciunt. Etymolog. M. quidem in voce Ποτνιάδες θεαί Glaucum, Bellerophontae patrem ad Potnias, vicum Boeotiae, a suis ipsius equabus, quod ibi gramen edissent, dilaceratum esse tradit, sed, cum Glaucus piscator, qui postea in Deos marinos relatus est, eodem gramine fructus repente evanuisse dicatur,[1]) nominis permutatio intercessisse videtur. Non est igitur, cur Glaucum patrium regnum obtinuisse dubitemus, quo sensu etiam Simonides[2]) Corinthum τὴν πόλιν Γλαύκοιο appellat. Ita etiam quae schol. ad Apoll. Rhod. I, 146. tradit, eum Lacedaemonem venisse ibique cum Pantidyia, Thestio regi Aetoliae desponsa, concubuisse, ideoque patrem germanum Ledae, avum Helenae fuisse, cum nostra de ejus aetate ratione bene quadrant. — Thersander et Ornytion tranquillam ignobilemque vitam egerunt, Halmus, patria relicta, ab Eteocle

[1]) Paus. IX, 22, 6. Etym. M. l. l.
[2]) frgm. 23. in Brunk. analect. I. p. 29

Andreidis

Andreidis Boeotiae[1]) regulo venia impetrata, Halmones vicum condidit.

§. 4. *Bellerophontes* et *Proetus.*

Glaucum Bellerophontes filius ex Eurymede[2]) secutus est, sed mox a Proeto, inter Argivos validissimo, regno domoque expulsus, cum ab hujus uxore Antea ad stuprum sollicitatus morem gerere noluisset, idem passus, quod Josephus a Potipharis uxore, Hippolytus a Phaedra, ob inanem insidiarum suspicionem ad Lyciae regem cum literis, quales Urias quondam tulit missus, mirandas ibi res gessit. Haec est antiquissima apud Homerum[3]) rei species. Eum vere in Lyciam venisse Herodoti[4]) testimonio firmatur, qui Ionibus Asianis in aliis regulis Lycios quoque, Glauci Bellerophontae nepotis posteros, praefuisse dicit. Posteriores rem amplificarunt. Apollodorus[5]) Bellerophonten, cum fratrem Deliaden vel alium quendam e nobilibus invitus occidisset ad Proetum, Tirynthis regem,

[1]) Paus. IX, 34, 5.

[2]) Apollod. I, 9, 3. Sunt alii, qui Neptunum, Corinthiis ob domitos equos Δαμαῖον dictum, patrem Bellerophontae habeant. cf. Hygin. fab. 157. Schol. ad Pind. Ol. XIII, 59. ubi Boeckhius in Il. VI, 191 fortasse Bellerophontae originem Neptuniam jam latere, acutissime conjicit.

[3]) Il. VI, 155 — 206.

[4]) I, 147.

[5]) II, 3, 1.

con-

confugisse ab eoque expiatum esse dicit; in ceteris non variat, nisi quod, tragicos secutus, Proeti uxorem Stheneboeam nuncupat. Pausanias [1]) Bellerophonten non summum regni arbitrum fuisse, sed e Proeto Argivisque pependisse sibi et quicunque Homeri carmina non obiter legerit, persuasum esse profitetur. Alii [2]) eum a caede Belleri cujusdam nomen accepisse tradunt, cum antea Hipponous appelatus fuerit. At Homerus caedis omnino ignarus est. Fortia ejus in Lycia facta Corinthii, ut sui herois, laudi sibi vertebant, quod numorum Corinthiorum copia, illius cum Chimaera certamen repraesentantium [3]) demonstrat. Nonnulli Hellotia quoque festum Corinthiorum, in quo lampadibus decurrebatur, in honorem Minervae, quae Bellerophonten in domando Pegaso valde adjuverit, institutum esse putaverunt. [4]) Ἱππίας et Χαλινῖτις certe dicta est ejusque templum a Pausania [5]) commemoratum Pouqueville una cum effigie Bellerophontae iterum invenisse sibi videtur.

De aetate herois, quam Banier, Clavier et potissimum Freret [6]) vv. dd. tali diligentia et eru-

---

[1]) II, 4, 2.
[2]) Tzetzes ad Lycophr v. 17. Schol. ad Il. VI, 152.
[3]) Eckhel D. N. T. II. p. 237.
[4]) Scholl. ad Pind. Ol. XIII, 56.
[5]) II, 4, 5.
[6]) Primus et tertius l. l. secundus ad Apollod. T. II, p. 219. sqq.

ditione

ditione illustraverunt, ut aliis otium aut spicilegium tantum fecerint, causas, quibus constituitur, manifestissimas exposuisse satis erit.

In Iliade VI, 152 sqq. Glaucus, nepos Bellerophontae, prodit et cum Diomede hospitium, quod hic jam avum Oeneum, Calydonis regem, cum Bellerophonta conjunxisse dixerat, redintegrat. Oeneus igitur et Bellerophontes aequales, cum utriusque nepotes bello Trojano intersint duas aetates hoc bellum praecesserint oportet. — Pausanias (II, 31, 12.) Bellerophonten Troezenem venisse Aethramque Pitthei filiam uxorem sibi petiisse, priusquam vero duxerit, e patria pulsum esse tradit. Aethra postea Theseum peperit,[1]) quo igitur Bellerophontes una aetate major fuit. Cum autem Thesei filius Mnestheus Agamemnonem Trojam versus secutus sit, pater una aetate, Bellerophontes duabus bello priores fuerint oportet. — Bellerophonten cum Amazonibus certamen iniisse Homerus l. l. enarrat; quae feminae bellicosae cum primum tempore, quo Priamus tirocinia bellica posuit, in Asia apparuisse dicantur,[2]) Priamus vero ad summam aetatem perveniret, ex hac quoque computatione aetas constituta firmatur. Eandem a majoribus ejus descendentes offendemus. Quartus enim inde ab

[1]) Apollod. III, 16, 1.
[2]) Il. III, 189. Strabo XII, 573.

Aeolo

Aeolo ab omnibus omnino scriptoribus dicitur, omnes vero Aeoli Dorique fratris posteri, qui in Iliaco bello nobis obviam veniunt quinti, si provecta aetate, sexti, si juvenili sunt, ab illis originem trahunt. Quinti v. c. sunt Patroclus, Machaon, Podalirius, Protesilaus, Nestor, sexti Antilochus, Ulysses,[1]) alii. Quodsi igitur Bellerophontes quartus, Hippolochus quintus, Glaucus vero et Sarpedon consobrinus sexti ab Aeolo dicuntur, ratio bene sibi constat. — Etiam aliis scriptoribus ad partes vocatis idem redit. Hesiodus (Theogon. 325.) Chimaeram a Bellerophonta et Pegaso i. e. auxilio Pegasi, interemtam, Pegasum vero (v. 281.) e Medusa, cujus caput Perseus amputaverit, genitum, Chimaeramque ab Echidna filia Medusae partam (v. 319.) dixerat. Perseus igitur et Medusa cum duabus aetatibus ante Bellerophonten vixerint, illiusque natalis in annum ferme 1340 excedat, iterum sententia nostra firmatur. Pindarus, qui Ol. XIII, 105. a Coeranida vate Bellerophonten ad caedem Chimaerae excitatum esse dicit, nobiscum de aetate consentit. Illius enim Coeranidae, cui nomen erat Polyidi,[2]) filius Eu-

[1]) Quod duae feminae, quae auctore Hesiodo in operr. et diebus v. 696 decimo quinto aetatis anno collocari solitae erant, in ejus stemmate sunt, sex ejus aetates non nisi quinque justas aequant.

[2]) Il. XIII, 663.

chenor

chenor ante Iliacos muros pugnabat et Hippolocho minor natu, Glauco major erat. — Apollodorus et Pausanias in genere Bellerophontae, caede Chimaerae et origine Pegasi cum Homero et Hesiodo congruunt. — Quae autem huc usque dixi eo consilio disputavi, ut Bellerophontae natalem ferme in a. a. Ch. n. 1280 cadere ostenderem.

Transeamus ad alteram quaestionem, quis ille Homeri Proetus sit, qui Ἀργείων πολὺ φέρτερος Bellerophonten e populo expulit et a sua uxore in crimen adductum, ipse caedem reverens, ad socerum Lyciae regem necandum misit. Apollodorus et Pausanias l. l. Proetum Tirynthis (quae ad agrum Argivum pertinebat) aliarumque urbium regem intellexere. At per Deum quantopere lapsi sunt! Proetum illum, Acrisii, qui est avus Persei, fratrem, Hypermnestrae nepotem CC. a. ante Ilium captum, CXXX ante Bellerophonten vixisse Freret luculenter probavit. Tragici Proetum Tirynthium cum illo Bellerophontae confundentes sibi constantes etiam nomen uxoris, quod Homerus subpeditavit, rejicientes, Stheneboeam Argivi uxorem, licet jam ducentos annos nata fuisset, amore in Bellerophonten flagrasse dicunt. Antea quidem Homeri e Lycia oriunda, Stheneboea vero, uxor Proeti Tirynthii, filia Aphidae erat Tegeae Arcadiae reguli.[1]) Proetus Tirynthius adeo neque uxo-

[1]) Apollod. III, 9, 1. Paus. VIII, 4, 2.

rem

rem Lyciam habere, neque Bellerophonten illuc mittere poterat, quippe haec terra a Lyco demum, filio Pandionis, fratre Aegei, qui centesimo ferme post Proetum Tirynthium anno illuc coloniam deduxit, Lycia denominata tunc temporis Milyas appellabatur. [1])

Postquam Proetum Tirynthium hic intelligi non posse ostendi, alium substituamus necesse est. Tres vero Proeti ex antiquitate nobis occurrunt, primus, de quo hucusque egimus, alius Nauplii filius, pronepos Danai, illique paene aequalis, [2]) et tertius Sisyphi nepos, Thersandri filius, Bellerophontae frater patruelis. [3]) De illis cogitari nequit, hunc si rejicimus probatissima quaequae aspernari debemus. Res potius ita actae esse videntur. Sisyphum secutus est Glaucus (1266), quem Bellerophontes excepit (1250). Hunc Proetus patruelis, Thersandri filius natu maximus (minores Coronus et Haliartus ad Athamantem patruum magnum in Boeotiam concesserant) nescio qua arte regno privavit (1248) et postea ad socerum Lyciae regem ablegavit. Proeto, sine mascula prole vita defuncto, cum Glauci stirps expulsa, Thersandri morte exstincta esset, Thoas Ornytionis filius regiam potestatem nactus est et

[1]) Herod. I, 173. VII, 92. Strabo XII, 573.
[2]) Apollon. Rhod. Argon. 136.
[3]) Pausan. X, 30, 2. Eustath. ad Od. XI, 326.

sic

sic deinceps ceteri. — Freret Proetum nostrum, antequam patruelem imperio depulisset, unum e regulis Boeotiae fuisse ostendere studuit et conjiciendo, emendando et Pausaniam oblivionis arguendo argumenta e nonnullis locis eruisse sibi videtur. At non Thersandrum, sed solos ejus filios minores emigrasse e Pausania (IX, 34, 5) intelligitur, neque est, cur Proetum e longinquo repetamus, cum motu civili omnia, quae perfecit, effici potuerint.

Unde tamen tot scriptorum duorum regum, qui amplius centum annorum spatio discreti sunt, commutatio? Mirum sane est, at miratio minuitur, si Proetum Tirynthium, cujus posteri per duo secula usque ad belli Trojani tempora Argis regnarunt, potentissimum omniumque ore divulgatum fuisse, Proetum Corinthium vero exiguae terrae regem una cum morte imperium alii genti tradidisse et potissimum poëtas tragicos errores auctores fuisse perpenderimus. Quomodo Homerus rem sibi cogitarit potissimum ab interpretatione verss. 158 sqq. pendet. Banier, Freret et Clavier illum aliter ac tragicos sensisse contendunt et vocabulum Ἀργείων de Pelopennesiis in universum intellectum volunt. Quod saepe ita usurpatum esse ipse p. 42 sqq. docui ideoque vero non minus de Tirynthiis, atque atiam quod hi ad agrum Argivum pertinerent ipsique Argivi essent,

essent, Argos etiam urbs Proeti diceretur,[1]) propria significatione dici potuisse apparet. Cum praetera Proetus, jam antequam Bellerophonten expulerat, πολὺ φέρτερος audiat et poëta, utrumque consanguinitate proxime conjunctum generisque sanctitatem impie laesam fuisse, ne innuat quidem, equidem, cui sententiae Homerum favisse dicam, dubius haereo.

§. 5. *Medea.*

Antiquissimus omnium, qui huc spectantia tradidisse videntur, est Eumelus, cujus versus a scholl. ad Pindari Ol. XII, 75 et ad Lycophr. v. 174 nobis servati, quoad Medeae originem et jus imperii Corinthii praecipue memoratu digni, sic habent:

Ἀλλ' ὅτε δ' Αἰήτης καὶ Ἀλωεὺς ἐξεγένοντο
Ἠελίου τε Ἀντιόπης, τότε δ' ἄνδιχα χώρην
δάσσατο παισὶν ἑοῖς Ὑπερίονος ἀγλαὸς υἱός·
ἣν μὲν ἔχ' Ἀσωπὸς, ταύτην πόρε δίῳ Ἀλωεῖ.
ἣν δ' Ἐφύρη κτεάτισσ', Αἰήτῃ δῶκεν ἅπασαν.
Αἰήτης δ' ἄρ' ἑκὼν Βούνῳ παρέδωκε φυλάσσειν,
εἰσόκεν αὐτὸς ἵκοιτ' ἢ ἐξ αὐτοῖό τις ἄλλος,
ἢ παῖς ἢ υἱωνός· ὁ δ' ᾤχετο Κολχίδα γαῖαν.

Eadem repetit Pausanias II, 3, 8. et quam parum historice plura addiderit, supra p. 50, 51, 54. 59. demonstrasse mihi videor. Eodem modo scholl,

[1]) Pind. Nem. X, 76 (41). ibique Dissen v. cl.

ad Pindari l. l. quaerentibus, cur Medea Corinthiis accenseatur, respondent, alter Corinthum πρῶτον κτῆμα Μηδείας, alter melius πατρῷον κτῆμα dicentes. Tertius denique ad eundem locum schol. de ejus regia potestate nihil affert, sed eam, cum Corinthi, unde pater oriundus erat, habitaret, incolas peste afflictos, Cereri et Lemniis nymphis sacrificantem, liberasse et cum Jovi indecentia petenti prae metu Junonis restitisset, ab hac de liberorum immortalitate promissum tulisse dicit. Ne quid, etiamsi satis notum, omittam, quomodo Euripides ejus res in dramate cognomine repraesentarit, lectoribus in memoriam revocabo. Medea e Colchide Iasonem secuta Peliae filiabus, ut patrem perimant, persuadet, tum una cum Iasone Corinthum aufugit ibique per plures annos commorata, cum maritus regis Corinthii filiam ambiret, aemulatione commota regem, ejus filiam, suosque ipsius liberos occidit, caedeque perpetrata et in Iasonem omnibus criminationibus effusis, se draconibus ab avo Helio tributis per aërem ablatum iri gloriatur.[1] Atheniensem,

[1]) Venuste etiam Ovid. met. VII, 391. sqq.:
Tandem vipereis Ephyren Pirenida pennis
contigit. Hic aevo veteres mortalia primo
corpora vulgarunt pluvialibus edita fungis.
Sed postquam Colchis arsit nova nupta venenis,
flagrantemque domum regis mare vidit utrumque,

qui

qui populo suo indulgere Medeamque Atheniensibus jam invisam foediorem reddere, et poëtam, qui rem suam τραγικωτέραν efficere studuerit, hujus fabulae auctorem fuisse, multum pro Medea valet, maximumque schol. ad Eurip. Medeam v. 10, qui sententiam a multis impugnatam, sed a Parmenisco quoque confirmatam affert, Euripidem decem talentis ea conditione, ut caedem liberorum, a Corinthiis perpetratam, matri ipsi tribueret se corrumpi passum esse, addit momentum. Quoad imperium, quod Medea una cum Iasone marito Corinthi obtinuisse dicitur, non praetereunda sunt testimonia schol. ad Euripidis locum modo citatum. Ibi enim Corinthii iniquo animo ferentes, quod Medea in se dominari jureque paterno uti velit, liberos ejus occidisse dicuntur. Illam vere regnasse Eumelus et Simonides testantur; immortalem adeo fuisse Musaeus in libro de Isthmiis scripsit potissimumque Muellerum movisse videtur, ut (Orchom. p. 272) haec diceret: „So viel leuchtet doch durch alle historisirenden Erzaehlungen durch, daſs Medeia, ganz wie Iason, als eine Darstellung und Offenbarung der Hauptgottheit, integrirender Theil und gewissermassen die mystische Seite des Korinthisch-Iolkischen Hera-

sanguine natorum perfunditur impius ensis
ultaque se male mater, Iasonis effugit arma.
Hinc Titaniacis ablata draconibus, — —

 dien-

diensteş gewesen sey.» Etiam Parmeniscus apud schol. ad Med. 276 Corinthios, quod feminae barbarae et veneficae imperium ferre noluerint, illi ipsi insidias struxisse ejusque liberos, septem mares totidemque puellas ad Junonis altare confugientes, lapidibus obruisse tradit. Postea vero cum multi civium peste perirent, Deum consultum caedem liberorum Medeae expiandam esse respondisse. Quamobrem apud Corinthios suo adhuc tempore quovis anno septem pueros totidemque puellas nobilissimo loco natos eligi solitos fuisse, qui tonso capite nigraque veste induti in Deae templo versarentur et sacris faciundis cantibusque edendis lugubribus trucidatorum Deaeque iram placarent. Cui narrationi rursus Didymus adversatur, qui Creophyli testimonio nisus, Medeae liberos, a matre, ob regem veneno interfectum Athenas aufugiente, quod ob teneram aetatem sequi nequissent, in altari collocatos, a regis affinibus occisos esse dicit. — Singularem denique eamque acutissimam sententiam prae se tulit Buttmannus, v. cl. in dissertatione de connexu Graeciae et Asiae, e mythis perspicuo. Graecos enim consanguinitatem cum gente externa ita, ut singulos ex utraque gente fama eminentes consanguineos fuisse dixerint indeque ceterorum affinitatem deduxerint, designare solitos fuisse censet. Ita Europam et Cadmum iisdem parentibus oriundos,

Aegy-

Aegyptum et Danaum fratres, Iasonem et Medeam, i.e. Iones et Medos, matrimonio junctos dictos esse; eandemque ob causam horum liberi μιξοβάρβαροι appellabantur. [1]) — E tanta narrationum farragine pauca haecce ad historiam redeunt. Medea a. 1324 cum Iasone Corinthum, quae tunc sub Proeti imperio fuit, venit et sacerdotio Herae functa, cum post aliquot annos Iason a rege, cui filius nullus erat, gener et successor regni libenter exciperetur, ultionem repudii machinata, regiam domum igne venenoque totam exstinxit; cujus sceleris poenas insontes ejus liberi dederunt, hisque illatam injuriam Corinthii festo lugubri, quod Heraeis additum fuerat, expiabant. Proeti filia Maera appellata erat, nescio an eadem ac quam Odysseus in inferis vidit,[2]) quam Euripides, de nominibus non anxius, *splendidam* (Γλαύκην),[3]) aeque ut Proetum *regem* (Κρέοντα) nuncupavit.

§. 6. *Corinthii tempore belli Trojani.*

Imperium a Proeto relictum *Thoas* patruelis usque ad a. 1182 tenuit; Ornytionem enim, cum post Proeti mortem jam octoginta annos natus fuisset, neque Pausanias II, 4, 3. eum regem,

---

[1]) Schol. ad Pind. Ol. XIII, 74

[2]) Odyss. XI, 325 ibiq. Eustath.

[3]) Pausaniam II, 3, 6 et 6. habet assentientem, quanquam idem Maeram Proeti filiam dixerat X, 30, 2.

sed

sed tantum Sisyphi filium, Phoci Thoantisque patrem dicat, regis munere unquam functum esse, Clavier ad Apollod. T. II. p. 228. recte negat. Bellerophontae posteros, quod ad expeditionem Trojanam e suis ducem non dantes Mycenensibus, quibuscunque Agamemnon imperitasset, adscripti, belli participes fuerint, principibus Argivis et Mycenaeis paruisse Pausanias [1]) opinatur. Homerus, [2]) ad quem provocarat, Corinthios vere Agamemnoniis copiis adnumerat et Pindarus [3]) eos ante Dardani moenia utrimque pugnarum momentum facere visos esse canit, alteros cum cara Atrei progenie Helenam repetentes, alteros his obstantes, in quibus verbis scholl. illos ad Glaucum Trojanorum socium [4]) ejusque manum, hos ad Euchenorem, Polyidi vatis filium, recte referunt. Idem Simonides in his scholiis, Boeckhii emendatione probata, ita enuntiavit: Κορινθίοισιν οὐ μανίει τὸ Ἴλιον, οὐδὲ Δαναοί. [5]) Euchenorem Corinthium fuisse locus in Iliad. XIII, 663. probat, quo vero non dux audit, sed Euchenor τὶς ἀφνειός τ' ἀγαθός τε e Corinthiorum, opinor, optimatibus.

---

1) II, 4, 2.
2) Iliad. II, 570.
3) Ol. XIII, 78, 82.
4) Iliad. VI, 155 sqq.
5) cf. Plutarch. in Dione c. 1. Alios illum Simonidis versum in Corinthiorum vituperium factum intellexisse ex Aristot. Rhet, I, 6. et Plut. in Themist. c. 5. videre licet.

Ducis

Ducis enim munus Agamemnon obibat, qui tot, quot nullus reliquorum regum naves subpeditavit,[1]) et multis insulis totisque Argis imperasse dicitur,[2]) cujus vis et potestas tanta fuit, ut magis, quod potentia praestabat, quam ob jusjurandum Tyndareo datum, classem coëgisse Thucydidi (I, 9) videretur, omniumque, quorum dux nominatur, etiamsi non lege constitutus aut armis factus, re ipsa tamen rex esset. Hoc sensu etiam Strabo VIII, 371. illud Homeri Ἄργος de tota Peloponneso intelligi vult, neque sibi repugnat cum paulo post p. 372. Agamemnonem Mycenas, Achajam et quiquid usque ad Corinthum et Sicyonem regionis sit, possedisse dicit. Ne vero Thoantem aut ab Atreo pulsum, quae est Larcheri p. 580. opinio, aut legitime sub Agamemnonis ditione fuisse credas, ille ipse Strabonis locus dissuadet; neque id, quod Corinthii nullum belli ducem praebuerint, eos aliis obnoxios fuisse, testimonium est, cum ne militum quidem magnum numerum ob terrae exiguitatem darent, neque eorum rex, quo tempore bellum incepit, jam septuagesimum secundum annum agens, militis ducisque labores perferre potuisset.

---

[1]) Iliad. II, 576.
[2]) ibid. v. 108.

§. 7.

§. 7. *Corinthus, quo tempore Heraclidae redierunt.*

Sicut tempore, quod bellum Trojanum et Heraclidarum reditum interjacet, in tota Graecia, quod de longinquo bello fessa viribusque erat attenuata, nihil memorabile gestum est, ita de Corinthiorum quoque illius temporis regibus, *Damophonte* et *Propoda*, nihil nisi nomina innotuerunt, itemque sequentes *Doridas* et *Hyanthidas*, qui regium onus una subierant (a. 1103), more patrum integro posteris tradito, cum morte simul memoriam sui delevissent, Corinthique ob principum languorem et segnitatem omne virtutis, artium et literarum studium jacuisset, si non Heraclidarum impetu, quo cunctae Peloponnesi, exceptis Arcadibus, nationes sedibus motae sunt,[1]) et illi notiores facti fuissent, et Corintho urbi juvenis rex, alacer ac strenuus, summa quaeque appetens, obtigisset. Hic est *Aletes*, qui Corinthi conditor, eo verbi sensu, quem p. 54. explicuimus, appellatur,[2]) a quo Corinthii ipsi παῖδες Ἀλάτα[3]) et Ἀλειάδαι[4]) audiunt, quem Vellejus

[1]) Herod. II, 171. Diod. Sic. frgm. libri. VII. Tom. IV. p. 13. Paus. II, 13, 1.

[2]) Scymnus Chius perieg. 526. Conon. naratt. 26. Diod. l.l. Strabo VIII, 389. Vellejus I, 3. Pausan. II, 4, 3. Schol. Pind. Ol. XIII, 17. Tzetzes ad Lycophr. 1388, probata Villoisonis emendatione.

[3]) Pind. Ol. XIII, 17.

[4]) Callimach. frgm. 103.

per

per errorem sextum ab Hercule, Apollodorus (II, 8, 3), Pausánias et schol. Pindari recte quintum dicunt. Erat scilicet Hippotae filius, Phylantis nepos, Antiochi pronepos, Herculis abnepos. — Quo tempore Corinthiorum rex factus sit, exploratum habere mihi videor. Quamvis enim Strabo l. l. pluresque ad Pind. l. l. scholiastae Corinthum per Aleten eodem tempore, quo Cresphontes, Temenus ceterique Heraclidae imperium obtinuerint, armis occupatam esse dicunt, hoc nonnisi obiter et negligenter traditum est, cum eandem rem bis diverso tempore factam una complecterentur, neque aliorum, qui rem multo serius accidisse tradunt, testimoniis refragatur. Medium inter utrosque Vellejus I, 13 tenet, cujus haec verba sunt: « Eodem anno quo Carthago concidit, L. Mummius Corinthum post annos DCCCCLII, quam ab Alete, Hippotis filio, erat condita, funditus eruit. » Corinthum autem a Mummio a. a. Ch. n. 146 deletam esse et Heraclidas a. 1104 rediisse plerique consentiunt chronologi: illi igitur tempori si annos 952 addideris, efficiuntur 1098. Proinde auctor Aleten sexto post Cresphontis reliquorumque reditum anno urbem condidisse putarit oportet. At alii, quo antiquiores, eo majori fide digni, rem accuratius tractaverunt. Diodorus Sic. l. l. Corinthiam Aletae, ab Heraclidis cum terras armis captas divisissent, arcessito, traditam esse narrat. Conon

Hip-

Hippoten patrem ob caedem Carni, jussu oraculi ab Heraclidis ablegatum, in exsilio filium genuisse tradit, quem ob errores suos Aleten i. e. erronem nominaverit. [1]) Hunc adultum, Doriensium manu collecta, Sisyphidis et Ionibus, qui cum iis conjuncti fuerint, expulsis, alterum urbis conditorem factum esse. Eundem postea etiam, quod oraculum eum, si modo non ipsum Atheniensium regem peteret, victorem fore edixisset, Atticae bellum intulisse, in quo vero ob Codri nobilissimam mortem spes eum fefellerit. Didymus denique apud scholiasten Pindari l. l. Aleten Corinthum non condidisse, sed triginta annis postquam Heraclidae redierint, urbis regem factum esse testatur. — Haec testimonia ad tempus, quo Corinthum venit, definiendum sufficiunt, aliud enim diserte eum trigesimo post Heraclidarum reditum anno Corinthum occupasse, aliud paulo post occupationem Codro bellum intulisse tradit. Cum vero e chronologis peritissimus quisque illos a. 1104 rediise, Codrum a. 1070 pro populo morti se devovisse consentiat, [2]) Aletes imperium obtinuerit necesse est anno a. Ch. n. 1074.

Controversiis praemissis atque, spero, compositis, res, quo ordine evenisse videntur, edisseram.

[1]) Etym. M. Similibus ex causis aliis alia nomina indita fuisse, diserte docet Mueller II, 63, nota 1.

[2]) Petav. rat. tempp. II, 210.

seram. A. Ch. n. 1104, octogesimo post Trojam excisam anno, tandem Heraclidarum coeptis, post plures infausto exitu conatus, prospere successit. Antequam vero ipsam Peloponnesum iniere pestis exorta paulum morae iis adtulit. Causam et remedium cum ab oraculo quaesiissent, vatis Carni, mala Heraclidis vaticinantis caedem, ab Hippote perpetratam, interfectoris exsulatione expiandam esse, retulere responsum.[1]) Heraclidae cum oraculo morem gessissent victores per Achajam et Arcadiam in interiores Peloponnesi partes intrantes, quas terras armis subegerant, sortiti usque Corinthum non progressi sunt. Cum vero jam in sedibus suis firmiores totam Peloponnesum ab Heraclidis teneri et gubernari vellent, Aletae arcessito Corinthiam expugnandam proposuerunt. Quod qua ratione perfecerit valde inter scriptores disceptatur. Locus gravissimus est apud Thucydidem IV, 42: «Inter Cherronesum et Rhetum litus id tenuerunt, super quo Solygius est collis, ubi Dorienses olim stativis positis, oppidanis tunc Aeolibus arma intulerunt.» Utrum Corinthios, pervastatis passim agris, continuis vexationibus defatigatos obsidione sibi subjecerint, an expugnatione urbem ceperint, haud facile decer-

[1]) Conon narr. 26. Apollod. II, 8, 4. Paus. III, 13, 3.

nas.

nas. Pausanias enim II, 4, 3. Aleten regnantibus Corinthi Dorida et Hyanthida Dorum manum contra urbem duxisse, mox principes sibi conciliasse populumque a regibus desertum pugna ita devicisse dicit, ut magna multitudinis pars patria decedere coacta fuerit. Qui reges, quod a populi partibus desciscentes cum hoste conspirare, et bonis suis commode inhaerere, quam pro libertate patriae corpora telis opponere maluerunt, si senectutis excusationem non haberent, in aeternum probro ac dedecore essent obruendi. De expugnatione scholiastes ad Pind. Nem. VII, 155 multifaria affert. Ad enucleandam enim originem proverbii *Iovis Corinthus*, quo Pindarus in fine illius hymni simili sensu usus est ac poëta Venusinus primam satiram terminavit, quodque idem valet ac Latinorum: eandem semper incudem tundere,[1]) ad illum igitur locum haecce narrat: Aleten cum regno Corinthio potiri studuerit oraculum Dodonaeum, Jovi sacrum, consuluisse et, cum aliquis glebam terrae ei dederit, tum quae peteret impetraturum, impetum vero die festo faciundum esse, responsum tulisse. Aleten deinde Corinthum profectum pro pane, quem ab agricola quodam petiisset, glebam accepisse[2]) et cum incolae ad sacra

[1]) Photius p. 315 ed. Pors. Scholl. ad Pind. ll. et Aristoph. eccles. 827. Erasm. adag. p. 578.
[2]) Plutarch. proverb. 48. p. 1262. Tom. V. P. III.

manibus

manibus defunctorum ferenda forte ad sepulcra fuissent, ibi cum Creontis, i. e. regis, filiabus de consilio suo egisse earumque natu minimae, si res bene successerit, matrimonium pollicitum esse. Puellam sibi persuaderi passam, portas aperientem, prodidisse urbem, quam ille Jovis Corinthum nominaverit, quod auxilio oraculi Jovis regnum sibi obtigerit. — Quae narratio, etiamsi originem proverbii ex ea ducere multis nimis longe petitum et contortum videbitur, a scholiasta fingi non poterat eique, quod fortuito rem obscurissimam paulo illucesceret, grates habendae sunt. Bene puellae proditio cum regum ignavia quadrat, neque quae Thucydides tradidit, dictis scholiastae repugnant. Aleten enim in colle Solyges stativa posuisse, inde Corinthum aggressum, ipsum veste mutata festo die urbem intrasse, domumque regiam sibi conciliasse aeque facile consociari potest atque Corinthiis ipsis Aletae agros po-

---

ed. Wytenb. et Hesychius in v. Ἀλήτης verba: „Δέχεται καὶ βῶλον ἀλήτης" de iis, qui omnia in melius interpretentur, proverbialiter dictum esse narrant. Aleten enim ἀποπεσόντα Κορίνθου, cum redire tentaret et in regione circumspiciens a bubulco, quem cibum rogasset, glebam accepisset, ominis causa eam excipientem illa verba locutum esse dicunt. In qua narratione, cur Aletes Corintho excidisse dicatur, equidem non intelligo, quo magis, quod Zenobium, quem idem proverbium repetiisse Mueller. Dor. I, 85 dicit, comparare posse mihi non contigit, doleo.

pulanti,

pulanti, urbem oppugnanti, portas intranti fortiter restitisse magna laus est. Et profecto acre atque odiosum de urbe certamen obortum fuerit, necesse est, cum tota fere urbs igni corriperetur ipsumque Minervae templum flammis tangeretur.[1]) Diodori igitur verba κατὰ τὴν διαίρεσιν et παραδίδοντες non de divisione et traditione regionis jam expugnatae, sed adhuc expugnandae sunt intelligenda, quae ratio Apollodoro (II, 8, 4), qui de sortitione terrae ab Heraclidis expugnatae ubere loquitur, de Alete nihil omnino habet, valde firmatur. — In expugnanda urbe Melas, filius Antasi, Gonusae prope Sicyonem natus, quem una cum manu Aletes a principio, oraculo vetante, non receperat, postea vero, cum a vero illius sensu aberrrasset, socium adsciverat, auxilium ei tulit.[2]) Aleten inter principes belli Atheniensibus inferendi fuisse, dubitari nequit. Cum vero ob Codri mortem gloriosissimam ab Atheniensibus repulsi essent, ne plane infecta re redirent, digredientes finibus Atticis, Megaram mediam Corintho Athenisque urbem occupatam Corinthiis potissimum habitandam tradidere, ita ut Megara, hucusque Atheniensium sub ditione et ad Ionicam Graeciae partem pertinens, nunc ob multos colonos Dorienses reipublicae formam dicendique

[1]) Schol. Pind. Ol. XIII, 56.
[2]) Pausan. II, 4, 4. V, 18 in fine.


rationem


rationem mutaret.[1]) Inde etiam Megarenses Corinthiorum ἀποίκοι audiunt, multaque illis, propter urbis potentiam concessisse dicuntur. Alia enim jussa fecerunt et quando aliquis Bacchiadarum Corinthi mortuus erat, Megarensium viri feminaeque illuc venire mortuoque justa facere coacti erant[2]), quod est subditorum. — Aletes illustris virtutibus, urbe potitus, populo in octo φυλάς urbeque in totidem partes, jubente oraculo, distributis[3]) urbi a se auctae per annos XXXVIII. imperavit.[4]) —

1) Herod. V, 76. Conon. 26. Vellejus, I, 2. Pausan. I, 39, 4.
2) Schol. ad Pind. Nem. VII, 155.
3) Photius p. 379. ed. Pors.
4) Diod. Sic. l. l.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 24. in nota 1. pro *Harpocrat.* lege *Photius.*
— 34. v. 11. post τοὺς male vacuum spatium relictum.
— 42. — 6. pro *corige* l. *corrige.*
— 44. — 4. — *Epiemthei* l. *Epimethei.*
— 50. — 2. — *narratunculis* l. *narratiunculis.*
— 54. — 12. — γῦν l. γῆν.
— 55. — 29. — χυων l. χθών.
— 57. — 1. post *apud* adde: *Theognidem* 703 *sqq. et.*
— 65. — 5. pro *illiud* l. *illud.*
— 67. — 9. — *appelatus* l. *appellatus.*
— 68. — 9. — *duas aetates* l. *duabus aetatibus.*
— 72. — 27. — *atiam* l. *etiam.*




600000541G

